




69




*Hopetown.*

Dv 623

R. 3. 34.





OLAI BORRICHII  
LINGUA  
PHARMACO-  
POEORUM,

*Sive*  
De Accuratâ Vocabulorum in Phar-  
macopoliis usitatorum pronuncia-  
tione.



---

HAFNIÆ,

*Typis MATTHIÆ GODICCHENII,*  
Sumptibus PETRI HAUBOLDI Reg. Acad. Bibl.  
ANNO M. DC. LXX. 1688

OLAV BORRICHII

LINGUA  
PHARMACO-  
POEORUM

212

De Accurata Vocabulary in Phar-  
macopis veterum promissa  
tione



HATINAE

Typis Matthei Godschami,  
Scripserunt PETRI HANSDI Reg. Acad. Bibl.  
ANNO MDCCLXX

SACRATISSIMO ET POTENTISSIMO  
REGI AC DOMINO  
DN. CHRISTIANO QVINTO  
AUGUSTISSIMO ET CLEMENTIS-  
SIMO DANIÆ NORWEGIÆQVE  
MONARCHÆ

CUI NUPER A BEATISSIMO DIVI  
PARENTIS

FRIDERICI TERTII  
REGUM OPTIMI MAXIMI  
OBITU

UNIVERSA PATRIA OB IMMENSA DOMUS  
REGNATRICES IN SE MERITA

UNO ET CONCORDISSIMO ORE FASCES  
HÆREDITARIOS ET FIDEM ÆTERNAM  
GRATULABUNDA OBTULIT

SANITATIS HÆC INSTRUMENTA  
SEQUE IPSUM CUM PERPETUÆ ET  
CONSTANTISSIMÆ SANITATIS PRO-  
SPERRIMIQVE REGIMINIS  
VOTO

*SUBJECTISSIME CONSECRAT*

OLAUS BORRICHIVS.

(a) 2

AP-

SACRATISSIMO ET POTENTISSIMO  
REGI AC DOMINO  
D. CHRISTIANO QUINTO  
AUGUSTISSIMO ET CLEMENTISSIMO  
SING. DAN. NORWEGICORUM  
MONARCHAE

APPROBATIO.

**D**E accuratâ vocabulorum in P<sup>h</sup>armacopoliis u-  
sitatorum pronunciatione eruditissimum tra-  
ctatum Viri Experientissimi D. OLAI BORRICHII,  
legi; in quo cum nihil observaverim, quod varia  
eruditioni, atque in studiis Medicinæ progresibus  
non apprimè conferat, dignissimum censeo, qui in  
publicum edatur. *Havnie die XX. Decembr.*  
ANNO M. DC. LXIX.

SANITATIS HEC INSTRUMENTA  
ERASMUS BARTHOLINUS  
CONSTANTINUS SANITATIS REG.  
SERRIMORVM REGIMIS  
VOTO

SUBJECTISSIME CONSECRAT

OLAVS BORRICHII

(2)





*Candido, & incorrupto Lectori.*

**C**um superioribus mensibus, jussu Regio, convenirent sæpe Hafnienses Medici cum Pharmacopœis, ad ordinandas res pharmaceuticas, & medicamentorum pretia certis legibus compescenda, atque, ut fit, inter mutua colloquia de accuratiori quarundam herbarum, pharmacorumque pronuntiatione ultro, citroque amicè disceptaretur, subiit animum rei & difficultas, & decor. Difficultatem ostendebat vocum pharmaceuticarum frequentissima peregrinitas; decorum videbatur res bene animo perceptas, & quotidiano usu tritas eruditè, convenienterque pronuntiare. Neque enim audiendi sunt, qui perinde esse arbitrantur, quo nomine, quâ inter pronuntiaandum morâ exprimentur pharmaca, dum prosint, & invisum humano corpori morbum expugnent. Enimverò *faciendum hoc, & illud non omittendum.* Quemadmodum non satis fuerit Oratori, efficaces ad persuadendum causas adduxisse, nisi enim easdem & schematis opportunis vestierit, & elocutionem totam aurium doctiorum accommodaverit judicio, tanquam artis suæ immemor exploditur: ita infœctiarum notam vix effugiet Medicus, pharmacopœusvè, si, quæ novit egregia pharmaca, & fructuosè administrat, eloqui nesciat, & sine rubore pronuntiare. Vidit hoc insipidæ loquentiæ & depravatæ pronuntiationis cacoëthes frequentari in hymnis sacrorum suorum, & precum horariarum codicibus [breviaria appellant] *Urbanus VIII.* Pontifex Roma-

mus eruditissimus, & manum sanandis his ulceribus ipse  
admovit, quod ex *Labbéo* constat, sed morte interpellante  
non perduxit ad umbilicos. Atque utinam vocabula a-  
natomica, medica, botanica in universon omnia ad li-  
nam severiorem vocaret eruditus aliquis, & justos singu-  
lis assignaret in pronunciando limites! mihi hic decre-  
tum festinato opere in pharmaceuticis præiisse viam, &  
aliud otii locupletioris ad rem pulcherrimam, & elegantiae  
medicæ artis inservituram meo provocasse exemplo. Ne-  
que enim quisquam sibi pollicebitur sufficere hactenus e-  
ditos sive lexicographos, ut qui hæc sacra admodum per-  
functoriè attigerunt, sive rerum Prosodicarum scriptores,  
*Smetium, Cælemannum, Ricciolum, Glonerum, Cavallum,*  
*Labbéum,* quanquam enim & illi, præsertim ultimi, studi-  
osissimè syllabarum quantitates persecuti sint, ad artium  
tamen & scientiarum vocabula rarò descenderunt, atque  
ita amplissimum elegantiarum & munditiei Latinae lingvæ  
cultoribus reliquere spicilegium. Quantâ autem reli-  
gione Romana gens quantitatem vocum, mensuramque  
pronunciandi observaverit, vel ex eo liquidum est, quod  
publico risu se ulcisceretur, si quem hac parte delinquen-  
tem audiret, ut ex Scriptorum antiquorum doctissimis  
promptum fuerit ostendere. *Tullius* elegantiarum Pater  
in *Oratore*: *In versu quidem, inquit, tota theatra reclamant,*  
*si fuit una syllaba aut brevior, aut longior. Nec verò multitu-*  
*do pedes novit, nec ullos numeros tenet: nec illud, quod offen-*  
*dit, aut cur, aut in quò offendat, intelligit: & tamen omnium*  
*longitudinum, & brevitatum in sonis, sicut acutarum, gravi-*  
*umque vocum judicium ipsa natura in auribus nostris collocavit.*  
*Idem in Paradoxis: Histrion, inquit, si paulum se movit extra*  
*numerum, aut si versus pronunciatus est, syllabâ unâ brevior*  
*aut longior, exhibetur, & exploditur.* Castissimam hanc  
pro-

pronunciandi legem ingeniosè expressit elegantissimus

*Naso l. 4. de Pont. epist. 12. ad Tuticanum:*

*Quò minus in nostris ponaris, amice, libellis,*

*Nominis efficitur conditione tui.*

*At ego non alium priùs hoc dignarer honore:*

*Est aliquis nostrum si modò carmen bono.*

*Lex pedis officio, naturaq; nominis obstant:*

*Quaq; meos adeas, est via nulla modos.*

*Nam pudet in geminos ita nomen findere versus,*

*Desinat ut prior hoc, incipiatq; minor:*

*Et pudeat, si te, quã syllaba parte moratur,*

*Arctius appellem, Tuticanumq; vocem.*

*Nec potes in versum Tuticani more venire;*

*Fiat ut è longã syllaba prima brevis.*

*Aut producat, quã nunc correptius exit;*

*Et sit porrectã longã secunda morã.*

*His ego si vitis ausim corrumpere nomen,*

*Ridear, & meritò peccus habere neger.*

Ita de refractariã in versu vocis earinus penultimã conque-  
ritur *Martialis l. 9. epigr. 12.*

Non inficiandum quidem veteres Romanos, ut ex  
*Prisciani lib. 8.* constat, paulo aliã, quã nos hodie, usos  
pronunciatione, ut qui sæpe unam, eandemq; penulti-  
mam & delicatè eloqvendo, acuebant simul, & corripie-  
bant, secuti Græcos, quibus id pane perpetuum; morã  
tamen longiusculã penultimas longas exprimebant, bre-  
vi breves, quod ex Poëtis omnibus liquidißimum est, ex  
quorum fontibus antiquorum pronuntiatio tutissimè  
hodie petitur, atq; obtinetur. Non enim de antiquis-  
simis nunc sermo est, de quibus *Quintilian. Instit. Orat. l.*  
*1. c. 5.* Castorem, inquit, veteres mediã syllabã productã pro-  
nunciãrunt, quia hoc omnibus nostris nominibus accidebat,  
quo-

quo-

quorum prima positio in easdem, quas Castor, literas exit. Et Seneca Nat. Quest. l. 2. c. 56. Etiamnum illo verbo utebantur antiqui correpto, quo nos producta una syllaba utimur. Dicimus enim ut splendere, sic fulgere. At illis ad significandum hanc e nubibus subita lucis eruptionem mos erat, media syllaba correpta, ut dicerent fulgere. Illam vetustissimorum Latinorum prononciationem delicatius seculum Tullianum, & ab eo proximum, antiquavere. Quæsitum quoque jam olim fuit, & hodieque plurimis ambiguum est, vocesne Græcæ, cum in civitatem Latinam transferint, prononciandæ sint ad morem Græcorum, an Latinorum. Mea quidem sententiâ, cum in alieno regno vivant, alienis moribus vivere jubebuntur, & accentuum quidem propriorum jus amittere, naturæ autem interioris jus retinere. Cumque omnes hactenus communi consensu jus ultimæ, & antepenultimæ ipsis detraxerint, mirum cur de penultimæ accentu, & morâ quidam timidius ratiocinentur. Probè Servius in Ecl. Virg. 1. Notandum, inquit, Bucolica, vel Georgica, cum apud Græcos in fine habeant accentum, apud nos in tertiâ à fine habere. Nam ut in ultimâ sit, Latinitas vetat; ut in penultimâ non sit, brevitatis efficit ratio. Ita nemo Latinorum agaricum, astacus, aromaticus, molossus, criticus prononciaverit, utcumque Græci hujus elocutionis fuerint servantissimi. Grajis placuit Ægyptos, olympos, gangræna, alabastron, iaspis, id quod Romanarum aurium rotunditati adversum; penultimâ, naturâ vel positione longâ accentum Quiritium justius ad sese trahente. Neque verò Latini legibus penacutarum [ut vocant] vocum, quas à Græcis mutuati sunt, admodum se teneri ostendunt; quis enim Quiritium veterum boréas [substantivè intellectum] historia, naumachia,

Hel-

Hellados, symphonia, Ecclesia, sophia, & infinita id genus simili morâ expressit?

*In Boream, Caurumq̄, aut unde nigerrimus Auster.*

*Virg. 3. Georg.*

*Torqueat entbymema, nec historias sciat omnes.* *Juvenal.*

*Sat. 6.*

*Do tibi naumachiam, tu das epigrammata nobis.* *Martial.*

*l. 1. ep. 6.*

*Hellade percussâ Marius cum præcipitat se.* *Horat. l. sat.*

*2. s. 3.*

*Ut gratas inter mensas symphonia discors.* *Horat. de*

*Art. Poët.*

*Non aliter crebras Ecclesia vera procellas.* *Alcim. 4.*

*Cum tibi sit sophie par fama, & cura Deorum.* *Mart.*

*l. 1. ep. 112.*

In quâ ultimâ voce tamen habent quo se defendant, qui Philosophiam penultimâ longâ exprimunt, *Auctorem Syringis* apud *Theocritum*, *Nonnum Panopolitam*, & *Prudentium*, quâquam tutius omnino, & vi vocis, & analogiâ svadentibus penultima corripitur, nec aliter antiquis Latinis usu venisse observatum. Rata ergo esto *Martiani Capella lib. 3. de fastig.* sententia: *Græca nomina*, inquit, *cum in Latinum vertuntur, nostrâ regulâ pronunciantur, nisi mantant Græca.* Scilicet si quis *dysenteriam*, *genealogiam*, *maniam*, *philologiam*, *polygamiam* dixerit, rectè fecerit, dummodo cætera, quæ simul eloquitur, etiam Græca fuerint omnia; cæterum si dixerit, *dysenteriam* aliquando esse contagiosam, *genealogiam* ambiguam, *maniam* desperatam, *philologiam* argutam, *polygamiam* inconcessam, jam hybridâ mixturâ Græca Latinis miscet, ostenditque nec se Latine loqui, nec Græcè. Neque propterea existimandum omnia in iâ à Græcis descendente penult.

(b)

cor-

corripere. Sunt enim illa in triplici ferè discrimine. Quæ Græcis per *æ* scribuntur, & Latinis per *i*, producunt apud Latinos penultimam. Et sunt illa

1. quæ formari traduntur à verbis in *ἔω*, ut *dynastía*, *latría*, *dulía*, *litanía*, *magía*, *chiromantía*, *pædía*, *politía*, *prophetía*, &c.

2. quæ ab adjectivis primæ contractorum descendunt, ut *antipathía*, *energía*, *entelechía*, *epiphanía*, *periphería*, *sympathía*, &c.

3. pleraque urbium nomina à nominibus propriis virorum, vel fœminarum descendunt, *Alexandría*, *Attalía*, *Laodamía*, *Iphigenía*, *Philadelphía*, *Antiochía*, *Nicomedia*, *Samaría*, *Seleucia*.

Reliqua ferè omnia penult. corripunt, ut *astrología*, *blasphemia*, *cassia*, *comœdia*, *dysenteria*, *Ecclesia*, *eucharistia*, *genealogia*, *homilia*, *hydria*, *historia*, *mania*, *melodia*, *monarchia*, *moria*, *philologia*, *philosophia*, *phantasia*, *poëtria*, *polygamia*, *sophia*, *sycophantia*, *scoria*, *symphonia*, *tragœdia*, *zelotypia*, quemadmodum usu & lectione bonorum Auctorum edocemur. Sanè, vertigini proximum est, in hodiernâ pronuntiatione Latinâ, *Ecclésiã* modò dicere, & *históriã*, & *scóriã*, & *comioédiã*, & *tragoédiã*; atque mox verso, quasi *Gorgone* conspectâ, numero, *astrologíã* proferre, & *genealogíã*, & *philologíã*, & *dysenteriã*, & *maniã*, & *polygamíã*, &c. cum ubique ratio eadem militet.

Absolvit quidem ita loquentes inconstantia crimine Gerard. Voss. de Art. Gramm. l. 2. c. 9. Reprehendit, inquit, Guilielmus Baillius lib. de Accent. Græcor. eorum inconstantiam, qui cum in *Alexandria*, *Tbalia*, *ellipsis*, *theatrum* & similibus, non servant accentum Græcum, ejus nihilominus rationem habeant in *philosophia*, *phantasia*, & aliis hujuscemodi.

(d)

di. Verùm cogitare debuit disparem esse in his rationem, quan-  
do philosophia, phantasia, prosodia, antanaclasis, diatyposis,  
similiaq; manent pura puta Græca: at Alexandria, Thalia,  
ellipsis mutarunt et in i longum, theatrum pro on assumit ter-  
minationem Latinam. Quare etsi minimè improbamus eos,  
qui in philosophia, etymologia & similibus, Latinorum canones  
sequuntur; negamus tamen eos validis rationibus pugnare,  
cum dissentientes à se damnant inconstantia. Hæc Vossius.  
Sed nè sic quidem inconstantia crimen declinabitur. Ni-  
mirum huc redit *Vossiana* defensio, licere accentum Græ-  
cum sequi in Græco-Latinis, si quando in voce ipsâ pere-  
grinante nulla immutatio contigerit, in cæteris standum  
auctoritate legum Latinarum. Ex quo sequeretur, di-  
cendum Latinis esse Amaryllis, Troicà bella, Cory'don,  
Anchisiades, Persephone, Tisiphone, Macedones, Mel-  
pomene, Bùsiris, æera, Myrmidones, máthesis, Dardaní-  
dæ, théatra pl. num. Item Agámemnon vocandi casu,  
& sexcenta id genus, nihil enim in his omnibus immuta-  
tur. Quod cum absonum Latinis auribus quivis perspi-  
ciat esse, meritò cives illi Græci quamprimùm in Lati-  
num transducti agrum fuerint, Latinos addiscent mores, &  
cum *Sinone Virgiliano* *Æn.* 2. audient:

*Quisquis es, amissos hinc jam obliviscere Grajos,*

*Noster eris* — —

Idem fatum manet voces Arabicas, Indicas, Barba-  
ricas, quibus frequenter utuntur *Officina*. Tenentur  
enim & illæ legibus in *Latio* promulgatis; sicut jam olim  
factitatum videmus in nominibus propriis peregrinis,  
hinc illud *Juvenalis* *sat.* 6.

*Tolle tuum, precor, Hannibalem, victumq; Syphacem.*  
Has quidem à Mauris voces desumpsere Latini, sibi fle-  
xum, & accentum vindicantes. Si tamen, ut nonnun-  
quam

(b) 2

quam

quam fieri solet, leges in *Latio* non inveniunt, propria  
Lingvæ tum demum genium sequuntur, hinc secacul,  
nenuphar penult. producant, de quibus in opere ipso  
prolixius. Ex legibus Latinorum penult. producentibus  
sunt præsertim positiones, & diphthongi, ex quibus judi-  
candæ penult. earum vocum, quæ hic non recensentur;  
ex corripientibus nobilissima est vocalis ante vocalem.  
Supervacuum autem judicabunt alii, ostendere velle  
quantitatem penultimarum in iis vocibus, quæ vocali  
ante vocalem corripuntur, ut in sequentibus: acacia,  
aloë, antimonium, apium, aqvilegia, ardea, artemisia,  
axungia, bdellium, benzoë, bezoar, bryonia, casia, ca-  
stanea, cataputia, cauterium, chelidonium, cichorium,  
ciconia, cochlea, colophonia, cydonium, cyphos troch,  
diacaryon, diasatyrium, elaterium, electuarium, endivia,  
erinaceus, eryngium, eupatorium, euphorbium, euphra-  
sia, fragaria, geranium, helenium, herniaria, hyoscya-  
mus, laureola, liliium, linaria, lycium, marrubium, ma-  
tricaria, milium solis, omphacium, opium, parietaria,  
pæonia, persicaria, philonium, pistacia, polypodium,  
prafium, psyllium, pulegium, rubia tinctorum, salvia,  
satyrium, scammonium, scolopendrium, seordium, scro-  
phularia, senecio, sepia, spinachia, spodium, staphisagria,  
theriaca, tilia, tutia, zedoaria, &c. Sed expendant illi  
mecum, non omnem vocalem ante aliam vocalem cor-  
ripi, ideoque regulæ huic tanquam minus generali tutò  
non semper deberi fidem, ex. gr. aristolochia, cadmia,  
centaurium, mithridatium, mumia, scordium penult.  
producant; lysimachia, & cichorium penult. reddunt  
ancipitem, ut in progressu operis demonstrabitur. Cæ-  
terum ut est infinitus pæne specierum Pharmaceuticarum  
numerus, ita nos hic neque de dissyllabis fuimus solliciti,  
neque

msp

5 (d)

neque



neque de iis, quarum penult. sive positione sive diphthongo producitur, ut sunt inter alia, arum, asa, been, beta, bolus, cera, china radix, crocus, ebur, ficus, flores, Haly pulvis, Hamech confectio, lohoeh, macis, pumex. ribes, rosa, ruta, spica, sumach. Item Ambra, blatta Byzant. colla, cornu cervi, galla, glandes, gummi, mentha, moschus, myrrhâ, stincus, sulphur, talcum, turbith, zinchum. Item, acetosella, becabunga, citrulli, dialacca, galanga, ichthyocolla, myrtilli, nigella, oryza, unicornu, &c. Item, althæa, nymphæa, satyreja, &c. In his enim omnibus justâ morâ pronuntiandis tyro ex vulgatis Grammatices præceptionibus satis instructus ad Pharmacopolia accedit.

In cæteris polysyllabis, quæ luculentâ authoritate Veterum, & inexpugnabili analogiâ judicantur, plurima sunt, quæ aliter hodie in *Officinis* pronuntiantur, quàm ratio, & usus antiquorum persuadent, ex.gr.

<b>A</b> Labastrinũ unguen- tum, Aloëphanginæ pilulæ, Anacardina confectio, Animæ gummi, Armena bolus, Cadmia, Caryocostinum Electu- arium, Centaurium minus,	Chamæmelum, Chamæpitys, Chebulæ myrobalani, Citrinæ myrobalani, Coralina, CrySTALLinum arsenicum, Cuculus, Cuminum, Curcuma, Cuscuta,
--	--

(b) 3

Cycla-


Cyclamen,	Lazuli lapis,
Cyminum,	Lumbrici,
Cyperus,	Mastichina aqua vitæ,
Dialithontribon,	Mithridatium,
Diaphœnicon,	Papaverinum oleum,
Diarrhodon Abbatis,	Perdicis fel,
Diascordium Fracastorii,	Pompholyx,
Epithema,	Priapus Cervi,
Hiera picra,	Quercinum viscum,
Horminum,	Resina,
Hypericon,	Sambucina aqua,
Jasminum,	Scordium,
Jujubæ,	Secacul,
Juniperinum oleum,	Solanum,
Laudanum opiatum,	Terebinthina,
Laurinum oleum,	Triphera Persica, &c.

Sudabit tyro, etiam ultra rudimenta progressus, & tricabitur in his, similibusq; justo accentu exprimendis, nisi Ariadnæo quodam filo dirigatur, & ex bonis Auctori- bus pronunciandi solidum robur colligat. Ejusmodi difficultatibus ut obviam eatur, natum est horis subsecivis hoc opusculum parergon, quod nunc arbitrio benevoli Lectoris permissum in Horatiano illo desinit:

Vive, vale, & si quid novisti rectius istis,  
Candidus imperti: si non, his utere mecum.

Abba-







A.

**A**bbatis diarrhodon; Abbas penultimam genitivi  
producit, ut rectè *Labbeus* in *Analect. Profod. & Ca-*  
*vallus* in *Jan. Musar.* docent, præeunte *Mantuano* 3.

*Fast.*

*Nomina ad Abbatem Siculum transmittit, & ille.*

**A**brotanum *Lucano* placet, & *Horatio*, abrotonum *Lu-*  
*cretio*, & *Plinio*, Ἀβρότωνο *Galeno* l. 6. de *simpl. med. fac.*  
penultimam corripit monitore *Horatio* 2. Ep. 1.

*Navem agere ignarus navis timet, abrotanum agro*

*Non audet, nisi qui didicit dare — —*

Corripuere quoque *Lucanus*, & *Lucretius*. Verùm  
abrotonites penult. producit. De voce ita *Columella* l. 12.  
c. 35. *Vinum absinthiten, & hyssopiten, & abrotoniten, & thy-*  
*miten, & marathritē, & glycyrrhizitē sic condire oportet & c.*

De quantitate ita censendum: Derivata in ITES pen-  
ultimam producere, quod exemplis liquidum evadet:

*Hinc aëtites est, sonitum cui spiritus addit. Fannius ex*

*Dion.*

*Quingve palastrita, licet hac plantaria vellant. Persius*

*Sat. 4.*

*Nec non pyrites, digitos qui strictus adurit. Fannius è*

*Dion.*

*Atque seleniten lunaris imagine lucis. Fannius è Dion.*

*Tam mala Ibersten prohibebat forma latere. Ovid. de*

*Pont. el. 13.*

Sequntur hanc analogiam ex sententiâ *Labbei*, *Glo-*  
*neri*, *Cavalli*, & optimi cujusque critici: Vinum abroto-

A

nites,

nites, absinthites, acorites, apites, aromatites, asarites, bunites, calaminthites, catorchites, cedrites, cestrites, chamædryites, chamælæites, conyzites, cydonites, daucites, dictamnites, elelisphacites, elleborites, glycyrrhizites, hyssopites, mandragorites, marathrites, melitites, myrsinites, myrtites, nectarites, omphacites, organites, panacites, phœnicites, pissites, prafites, rhenites, rhodites, rhoites, scammonites, selenites, stichadites, strobilites, sycomorites, thymælitites, thymbrites, thymites, tragoriganites, de quorum & nominis ratione, & compositione consulendus *Dioscorides*. *Eidem* descriptus lapis ætites, alabastrites, galactites, hæmatites, melitites, memphites, ophites, ostracites, selenites, thyites. &c. omnia vi superioris regulæ à Poëtis roboratæ penult. longâ exprimenda. Quò spectat petasites herba, scillites acetum, & similia.

Acaciæ succus; *Dioscoridi* l. i. c. 133. ἀκασία: acacia pen. corripit, ita enim *Vindicianus*, [quem tempore *Theodosii* senioris Imper. vixisse constat]

*Acacian, propolinę, & adarcen, enicon, acanthum. v. 57.*

Primam tamen syllabam in acaciâ licentiùs produxit *Vindicianus*, quàm rectiùs; non quòd derivetur ab ἀκασία primâ brevi in *Oracul. Sibyll.* uti placuit *Cavallo*; sed quia ab ἀκάζω pungo, arcessit natales, cujus primam corripit *Homerus Iliad. x.* observante jam olim *Hesychio*. *Avicenna* quidem vocatur *Akbakbia*, sed ab eo, in voce Græcâ non capiendæ leges.

Acetum pen. prod. quia ab aceo, es, acere.

*Imputet ipse Deus nectar mihi, fiet acetum. Mart. l. 12. ep. 48.*

Aconitum pen. prod.

*Lurida terribiles miscent aconita noverca. Ovid. i. Metam.*

Aco-

**Acori radix;** Acorus pen. corripit, quia *Dioscoridi l. 1 c. 2.*  
*ἀκορον*, quod *ἑὶς ἕξαις*, id est, pupillis mederi existime-  
tur. Unde & *Vindiciano* pen. corripitur.

**Aëtites lapis,** penult. producit, de quo videatur *Abrota-*  
*num*, seqv.

**Agallochum** pen. corripit, quia *Dioscoridi lib. 1. cap. 21.*  
*ἀγάλλοχος*.

**Agaricum** pen. corripit.

*Agaricumq;*, *asarumq;* potens, aloën, aconitum. *Vindi-*  
*cian. 55.*

*ἀγάρικον τέτυκτο ἰσοκαρπὸς ἴμενος*, Pentam. *Andromachus*  
*apud Galen. l. de Theriacâ ad Pisonem.*

**Alabastrinum unguentum,** pen. corr. vide *Amaracinus*.

**Alabastrites lapis** pen. producit, ut aëtites, de quo vi-  
deatur *Abrotanum*, seqv.

**Alexandrina sena,** **Alexandrina tutia,** pen. producit.

*Noxia Alexandrina dolis aptissima tellus. Propert. l. 3. el. 9.*

Non fuerit hic forsan supervacuum, regulâ generali,  
ex collatione scriptorum latinorum natâ, pluribus in  
pronunciando difficultatibus mederi, *Adjectiva in INUS*  
*à rebus animatis sensitivis descendunt*; item *distributiva*  
*numeralia*, & *nomina cognationum*; item *propria* & *genti-*  
*lia penultimâ producant*: ut *abellinæ* sive *avellanæ* nuces,  
*Plinio* ab *Avellâ* oppido appellatæ; *adulterinum* signum  
*Ciceroni*; *Agrigentinus* *Lucretio*; *Agyllinus* *Virgilio*;  
*agnina* caro *Plauto*; *Albinus* *Juvenali*; *Alexandrinus* *Pro-*  
*pertio*; *Alpinus* *Virgilio*; *amitinus* *Nonio*; *anatina* pingve-  
*do* *Officinis*; *anatina* fortuna *Plauto*; *Andinus* *Silio*; *an-*  
*gvinus* *Mantuano*; *anserinus* *Plinio*; *Antoninus* *Hist. Aug.*  
*Scriptoribus*; *Apenninus* *Ovidio*; *aquilinus* *Plauto*; *arieti-*

mus *Plinio*; armentinus *Plinio*; asininus *Varroni*; Atac-  
nus *Horatio*; Aventinus *Ovidio*; Augustinus *Prospero*;  
Balbinus *Horatio*; belluinæ voluptates *Gellio*; Bithynus  
*Juvenali*; Byzantina regna *Sidonio*; caballinus *Perseo*;  
Calabrina manna *Officinis*; Calvinus *Juvenali*; Came-  
rinus *Ovidio*; caninus *Martiali*; cantherinus *Columella*;  
Canusinus *Martiali*; Capitolinus *Ovidio*; caprinus *Horat-  
tio*; castorinus *Isidori glossis*; catulina caro *Plinio*; Cau-  
dinæ furcæ *Livio*; cervinus halitus *Martiali*; cisalpinus  
*Cicero*; Cloacina Dea *Prudentio*; Clusina domus *Silio*;  
Collatinus *Virgilio*; Collina porta *Ovidio*; collina her-  
ba *Propertio*; colubrinus *Scaligero*; columbinus *Horatio*;  
concubinus *Martiali*; consobrinus *Ausonio*; covinus  
currus *Silio*; coracinus piscis *Martiali*; Corvinus *Ma-  
nilio*; Cratinus *Horatio*; Crispinus *Juvenali*; crocodilli-  
nus *Quintiliano*; cyprinus piscis *Plinio*; elephantini li-  
bri *Popisco*; Eleusina mater *Virgilio*; Ephesinus *Mantu-  
ano*; eqvinus *Virgilio*; Erasinus fluvius *Ovidio*; Eryci-  
nus, a, *Ovidio*; erythinus piscis *Oppiano*; Euxinæ aquæ  
*Ovidio*; Exquilinus, sive Esquilinus veneficus *Horatio*;  
Faventinus *Martiali*; Favorinus *Gellio*; Faustinus *Mar-  
tiali*; Ferentinus *Silio*; ferinus *Virgilio*; Fescenninæ aci-  
es *Virgilio*; festinus *Claudiano*; fibrina pellis *Plinio*; Fi-  
dentinus *Martiali*; figlina [quasi figulina] creta *Plinio*;  
Florentinus populus, qui olim *Catoni* & *Plinio* vocaba-  
tur *Fluentinus*; foemininus sexus *Plinio*; formicinus gra-  
dus *Plauto*; furinum forum, à furibus dictum, *Plauto*;  
Gabinus cinctus *Virgilio*; gelasinus *Martiali*; gingrinæ  
arundines [à sono gingritibus anserum simili dictæ] *So-  
lino*; hadina pellis *Martiali*; Halefinus fons *Fannio*;  
Helvina Ceres *Juvenali*; hircini folles *Horatio*; Hirpi-  
na pubes *Silio*; hirundininus uides *Martiali*; Hortina  
classis



classis *Virgilio*; Jerichuntina sylva *Mantuano*; inopia  
quies *Virgilio*; intestinus *Lucretio*; Justinus *Corippo Afri-*  
*cano*; Lævinus *Martiali*; Lanuvinus ager *Horatio*; Lati-  
num genus *Virgilio*; leoninus adeps *Plinio*; Leontini  
campi *Silio*; leporinum lac *Varroni*; libertinus pater  
*Horatio*; Libyssini montes *Catullo*; Ligurinæ Alpes *Gra-*  
*tio*; Lucrinum stagnum *Martiali*; lupinum jecur *Sere-*  
*no Samonico*; Mamertina amphora *Martiali*; marinus  
casus *Virgilio*; Marrucina domus *Silio*; masculina voca-  
bula *Plinio*; Martinum littus *Horatio*; mediastinus *Hora-*  
*tio*; milvina mensa *Plauto*; murinus finus *Plinio & Se-*  
*reno*; mustelinus color *Terentio*; nepotinus sumptus  
*Suetonio*; Neptunina Thetis *Catullo*; Nerine Galatea  
*Virgilio*; nervini funes *Vegetio*; Nonacrina virgo *Ovi-*  
*dio*; Numantinus avus *Propertio*; Nursina pila *Martia-*  
*li*; olorina pila *Virgilio*; orcinus libertus *Ulpiano*; ostrin-  
us color *Propertio*; ovillinus caseus *Theodoro Medico*;  
Palæstina arena *Lucano*; Palatina laurus *Ovidio*; Patavi-  
na pubella *Martiali*; paupertinus recessus *Sidonio*; pecuina  
ossa *Apulejo*; peregrina aura *Ovidio*; Picentina Ceres *Mar-*  
*tiali*; Placentinus collis *Mantuano*; Plautini sales *Horatio*;  
Pontina palus *Juvenali*; porcinus grex *Sedulio*; porcel-  
lina caro *Theodoro Medico*; Prænestina Dea *Ovidio*; qua-  
drinus circuitus *Plinio*; Sabinus populus *Silio*; Sagun-  
tina porta *Silio*; Salentinus campus *Virgilio*; salinus  
*Statio*; Saturnitus *Martiali*; Setinum falernum *Martia-*  
*li*; Sibyllini versus *Horatio*; Signinum vinum *Martiali*;  
Socotrina aloë *Officinis*, quia ab insula Socotora; Spo-  
letina lagena *Martiali*; soricinus dens *Plauto*; supina  
manus *Virgilio*; Surrentinum falernum *Horatio*; Taren-

tinum venenum *Horatio*; taurinum tergum *Virgilio*; Theoninus dens *Horatio*; Tiberinum flumen *Virgilio*; Tiburtinus mons *Martiali*; Tridentina arx *Mantuano*; vaccinum lac *Plinio*; Velinus portus *Virgilio*; Venusina lucerna *Juvenali*; verrinum jecur *Plinio*; vervecinus *Glossus Cyr.* Vesuvinus apex *Statio*; veterinum semen *Lucretio*; vicina urbs *Virgilio*; viperinus cruor *Horatio*; vitulinum assum *Ciceroni*; ursinum fel *Sereno*; uterinus *Instit. Justiniani*; vulpina pellis *Svetonio*; vulturinum fel *Plinio*.

Seqvuntur analogiam hanc pauca alia, quæ unâ regulâ exprimere difficile: austrinus calor *Virgilio*; cisternina aqua *Seneca*; elandestina arma *Manilio*; internecinus ideo rectè penult. producit *Scaligero*, quia adjectivum est animatis propriè conveniens, eoque ad regulam superiorem referri meretur, sicut & morticinus, quod *Prudentio* propterea opportunè producit; matutinum frigus *Horatio*, eidemque ursus vespertinus penultimâ syllabâ productâ efferuntur, ob eandem prope modum rationem; quia enim matutinus à Matuta, hoc est, aurorâ derivatur, & vespertinus à Vespero sive Hespero stellâ, docentibus *Prisciano*, *Isidoro*, aliis, vis fieret regulæ superiori, si penultima corripere, quod & stellæ animatæ, imò prope Dii crederentur Antiquis. Sed de voce *elephantinus* quid censendum? hic permisere sibi quiddam Græci Latinis auribus inventum; *Hephestion* enim in versu Asclepiadéo, cùm ἐλεφαντῖνον λαβὰν ἕιφεως describit, penult. corripit. Et *Anacreon* ad amicam: Ἐλεφαντῖνον μέτωπον versum Anacreonticum facit. Idem postea in *Apollinem*, Ἐλεφαντῖνον δὲ πλῆκτρον itidem Anacreonticum absolvit, manifestè utrobique penultimam corripens. An ignoravere hi  
Græ.

Græci ebur ab animali genere obtineri? nam per *elephantinus* ubiqve eburneum intellexere, eburneum manubrium, eburnei candoris vultum, eburneum plectrum. Credibile eos ebur, ut rem inanimem considerasse, quod raros, aut forsan nullos in suis regionibus viderent elephantos. Quicquid autem horum sit, cum Latini nullius hactenus adjectivi in Inus ab animatis sensitivis derivati penultimam corripuerint [ quantum ex omni Poëtarum choro liquet ] rectius analogiam secuti, penultimam & in elephantinis libris Romanorum *Vopisco* laudatis, & elephantino colore apud *Plinium*, & elephantino ordine Regio producemus.

Alkali sal, vox ab Arabibus petita, quam tamen illi videri possunt à Græcorum *ἀλς*, *ἀλὸς ὀ*, quod est sal, sumpsisse mutuan; cumqve *ἀλς* penult. in obliquis corripiat apud *Homerum*, & alios, non alienum forsan esset, si penultimam τὴν alkali corripereamus. Cæterum quia & origo hæc dubia est, & *Prosper Alpinus*, quem in Oriente diu vixisse constat, atqve pronunciationem Arabum notasse, herbam Kalli appellat, & *Kellu* Egyptiis appellari monet, convenientius more Orientalium, deficientibus in *Latio* regulis, penultimam producemus.

Aloë penult. corrip. quia *Galeno l. 6. de simpl. med. facult.*

*ἀλόη*; præterea *Juvenal. Sat. VI.*

*Plus aloës, quam mellis habet, quin deditus autem*

*Usqve adeo est.* —

Aloëphanginæ pilulæ, penult. corr. vide *Amaracinus*.

Alfine, dicta *Dioscoridi l. 4. c. 87.* *Ἀπὸ τῆ ἀλσώδεις φιλῆν τῶσδε*, producit penult. non tantum auctoritate *Labbei*, sed & quia ita jubet analogia apud Scriptores optimos, ita Neptunine, Nerine, Nonacrine: *Téne*

*Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine? Catull. 65.  
Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hybla. Virg. Ecl. 7.  
Inter Hamadryadas celeberrima Nonacrine. Ovid. I. Met.*

Seqvuntur analogiam hanc aparine, bulbine, cardamine, chamamir sine, elatine, elleborine, helxine apud Nicandrum in Theriacis, oxymir sine, pitine, tridacine.

**Alumen**, penult. producit apud Serenum Samonicum tit.  
*Ventri molliendo:*

*Aut igitur tectum lanâ supponis alumen.*

Vixit hic Serenus, Vir clarissimi nominis, ante plenum occasum Latini sermonis, ab Imperatore Caracallâ occisus, ut ex Spartiano constat.

**Amaracus** penult. corripit:

*Idalia lucos, ubi mollis amaracus illum. Virg. I. Æneid.*

*Καρπὸν δ' αἰσιοτιγῆς μάλα δ' αἰ καὶ ἀμάρακος ἐστίν. Nicand.  
in Theriacis.*

**Amaracinum** oleum, ab amaraco, sive majorana herba, penult. corripit, Lucret. lib. VI. v. 936.

*Denique amaracinum fugitat sus, & timet omne  
Unguentum —*

Opportunè hic inferenda regula, tum in omni emendatâ pronuntiatione, tum in Pharmaceuticis latissimè patens: *Adjectiva* in INUS à plantis, lapidibus, & aliis inanimatis derivata; item, *Adjectiva* ab adverbis temporalibus, aut substantivis quatuor anni tempestates notantibus descendencia penultimam corripiunt. De quibus ut eò agatur distinctiùs, alia ex bonis Auctoribus probabimus, alia ex justâ analogiâ; & quidem Poëtarum testimoniis sequentia probantur:

**Acanthinus** ab acantho plantâ, *Anacreon* penult. corripit *carm. de rosâ:*

*Ev áκανθιστικός άστρονομίς*, id est, acanthinis dumetis,  
vers. Anacreonticus.

**Adamantinus**,

*In quo jam genere imprimis adamantina saxa, Lucret. l. 2.*

*Qui Martem tunicâ tectum adamantinâ. Horat. 1. Od.  
6. Choriamb.*

**Amaracini** quantitas jam ex prioribus à *Lucretio* allatis  
constat.

**Amethystinus**, ab amethysto gemmâ;

*Causidicum vendunt amethystina, convenit illis. Juve-  
nal. Satyr: 7.*

*Amethystinasq; mulierum vocat vestes. Scazon. Marti-  
al. l. 1. ep. 97.*

**Amygdalinus**, ab amygdalâ, fructu:

*Fertur amygdaline succus nucis esse bibendus. Seren. Sam.  
de lumbis sanand.*

*Alioquin vox Plinii est l. 23. c. 4. Oleum amygdalinum  
purgat, mollit corpora, cutem erugat, nitorem commendat,  
varos cum melle tollit è facie.*

**Apyrinum** malum, id est, genus dulce mali punici sine  
lignoso nucleo:

*Leeta suburbanis mittuntur apyrina ramis. Mart. l. 13. 43.*

*Non tibi de Libycis tuberes & apyrina ramis. Mart. l. 13. 42.*

**Balsaminus**, à balsamo frutice;

*Balsaminum Jerichûs succum, quâ pingvibus, estq;. Fil-  
lol. 5. Reg.*

*Placuit eadem vox Plinio l. 23. c. 4. Balsaminum ole-  
um longè preciosissimum omnium, ut in unguentis diximus  
contra serpentes efficax.*

**Bombycinus** pen. corr. quando est adjectivum, à mol-  
liori lanugine arbuscularum xylinarum deductum, ho-  
die

B

die

die gossypinum vocant. Ita autem rem se habere facile ista *Plinii* persvaserint *lib. 19. c. 1. Superior pars Ægypti*, inquit, *in Arabiam vergens gignit fruticem, quæ alii gossypion vocant, plures Xylina, & ideo lina inde facta xylina. Parvus est, similemque barbata nuce defert fructum, cujus ex interiore bombyce lanugo netur; nec lina sunt ei candore, mollitiave præferenda. Vestes inde Sacerdotibus Ægyptiis gratissima.*

— — — — *quarum*

*Delicias & panniculus bombycinus urit Juvenal. Sat. 6. Fœmineum lucet sic per bombycina corpus. Mart. l. 8. ep. 68. Nunc furtiva lucri fieri bombycina possunt. Martial. l. 11. ep. 50.*

*Tenuia nè madidi violent bombycina crines. Martial. l. 14. ep. 24.*

Quin & non tantum ab Assyriæ vermiculis, sed & ab Arabiæ xylino frutice texta bombycina advenisse vel illud *Propertii* ostenderit:

*Nec si quæ Arabio lucet bombyce puella. Propert. l. 2. el. 3.*

Quod autem Scriptores antiqui bombycem appellare, & bombycinum, id recentiores bombacem & bombacinum vocant. *Bombacium* legitur apud *Myrepsum* & *Svidam*, cui postremo & bambax & pambax placuit; *Avicenna* *Khotthun*, unde Gallis hodie *du coton*, Germanis *Baumwoll* nostris *Bomuld*. Arabius bombyx ergo apud *Propertium* bombacium signat, Assyria bombyx apud *Plinium* texturam bombyeis vermiculi. Verba *Plinii* *l. 11. c. 23. Arabiâ bombyce adhuc fœminis cedimus. Et l. 11. c. 22. Bombyces telas araneorum modo texunt, ad vestem, luxumque fœminarum, quæ bombycina appellantur. Hæc texta bombycina, quia ab animali sortuntur originem, penultimam meritò producant, ut for-*

formycinus apud *Plautum*, ad normam regulæ Adjecti-  
vorum in INUS ab animatis sensitivis descendentium;  
sed bombycinus à lanugine fruticis xylini penult. cor-  
ripit, ut modò prolixè demonstratum.

**Byssinum** linum, de quo *Plinius* l. 19. c. 1. *Asbestino lino*  
*principatus in toto orbe. Proximus byssino, mulierum ma-*  
*ximè delitiis circa Elim in Achajâ genito.*

*Vina, unguenta, leves tunicas, & byssina vela. Man-*  
*tuan. 5. Troph.*

**Cannabinus**, à cannabe herba. *Columell. l. 6. c. 2. Can-*  
*nabinis funibus cornua juvenorum ligato.*

*Cannabinas nutrit sylvas, quam commoda nostro. Gra-*  
*tius 47.*

**Carbasinum** linum. *Plin. l. 19. c. 1. Et Hispania citerior*  
*habet splendore linum præcipuo, torrentis in quo politur, na-*  
*turâ, ibi primùm carbasinis repertis. Postea: Carbasina*  
*deinde vela primus in theatrum duxisse traditur Lentulus*  
*Spinter Apollinaribus ludis.*

*Carbasinum, ac spatiiis gemmata monilia colli. Fillol.*  
*2. Reg.*

Poëtis frequentior *carbasseus*; *Tibullo carbasseum velum*  
*laudatur; Virgilio sinus carbasseus.*

**Cedrinus** à Cedro arbore. *Plin. l. 13. c. 5. Cedrinus est*  
*Romæ in delubro Apollo Sossianus, Seleuciâ advectus.*

*Ac etiam cedrinam cedrinis cum vectibus arcam. Fil-*  
*lol. 2. Reg.*

*καὶ τὸ πη κεδρινῆς πελάγης βιάεως ἔμμορε πίπης. i. e.*

*Concretamq; picem, cedri quoque caudice manat. Nicand. Alex.*

**Chimerinus**, a χεῖμα, atq; hyems, corripit pen. ut cætera  
adjectiva in INUS, à quatuor anni tempestatibus deri-  
vata, earinus, oporinus, therinus.

*Si daret autumnus mihi nomen, oporinus essem;*

*Horrida si bruma sidera, chimerinus.*

*Dictus ab aestivo therinus tibi mense vocarer,*

*Tempora cui nomen verna dedere, quis est? Mart. l. 9. 13.*

Conqueritur autem idem *Martialis l. 9. ep. 12.* se eari-  
non propter contumaciam primæ syllabæ, quæ brevis  
est, versui hendecasyllabo non posse includere:

*Dicunt Earinon tamen Poëta,*

*Sed Graci, quibus est nihil negatum:*

*Et quos æges, æges decet sonare;*

*Nobis non licet esse tam disertis,*

*Qui Musas colimus severiores.*

*Homerus* adjecto i primam in εάρινος produxit. *Iliad. β.*  
*v. 471.* Ωρη εν εαρινῃ, ὅτε τε γλάρος ἄγγρα δέυει: tempore  
verno, quando lac vasa madefacit. Idem facit *Iliad. π. Η.*  
*θ. Odysf. 6. Odysf. x.*

**Coccinus**, à cocco tinctorum. Hinc coccina læna  
juvenali *Sat. 3.*

*Coccina famosa donas, & ianthina mæcha. Mart. l. 2. Ep. 39.*

*Si fueris sanus, coccina quid facient? Mart. l. 2. Ep. 16.*

**Coralinus**, à coralio, herbâ lapideâ:

*Et posuere inter virgulta coralina cippos. Milieus l. 1.*

*Porrige labra, labra coralina. Corn. Gallus.*

**Crastinus**, ab adverbio cras.

*Ordine respicies, nunquam te crastina fallit. Virg. 1. Georg.*

**Crocinus**, a croco, qui *Avicenna* zaaserân. *Plin. l. 13. cap. 1.*  
*unguentum crocinum.*

*Quam circumcursans hinc illinc sepe cupido*

*Fulgebat crocinâ candidus in tunicâ. Catull. ad Manl.*

*Sit mensæ ratio, noxq̄ inter pocula currat,*

*Et crocino nares murrbinus ungat onyx. Propert. l. 3. el. 8.*

Cry-



**Crystallinus**, a crystallo gemmâ.

*Sic Aretina violant crystallina testa. Mart. l. 1. ep. 54.*

*Frangere dum metuis, frangis crystallina: peccant*

*Secura nimium, sollicitaq; manus. Mart. l. 14. ep. 111.*

*Grandia tolluntur crystallina, maxima rursus*

*Murrhina — — — Juvenal. Sat. 6.*

**Cupressinus**, a cupresso arbore. *Plin. l. 23. c. 4. Cupressinum oleum eisdem effectus habet, quos myrteum. Super calcatis cupressinis, vel pineis, aut si ea non erunt, alijs frondibus terra contegatur. Columell. l. 2. c. 2.*

*Instructi juvenes, passisq; cupressina quorum. Fillol. 9. Reg.*

**Diutinus** pen. corripit, quia à diu, adverbio temporis derivatur: Idem jam ante à *Plauto & Terentio* factum notavere eruditi.

*Longum, diutinumq; à mane ad vesperum. Plaut. Mil. glor. act. 2. sc. 6.*

*Diutinè ei uti bene licet partum bene. Plaut. Rud. act. 4. sc. 7.*

*Hecine erant itiones crebra, & mansiones diutina. Ter. Pborm. Act. 5. sc. 9.*

Idem tuentur constanter *Vosius, Cavallus, Glonerus, alii.*

**Earinus** vide *chimerinus*.

**Faginus**, a fago arbore:

*Post vario nitens sub pondere faginus axis. Virg. 3. Georg.*

*Insanire libet quoniam tibi, pocula ponam*

*Fagina, caelatum divini opus Alcimedontis. Virg. eel. 3.*

**Gausapinus**, a gausape, villoso genere vestimenti:

*Et dolet, & quæritur sibi non contingere frigus,*

*Propter sexcentas Baccara gausapinas. & postea*

*Quanto simplicius, quanto est humanius istud:*

*Mense vel Augusto, sumere gausapinas? Mart. l. 6. ep. 59.*

**Glaucinus**, à glauco colore, id est, ex viridi - albo.

• *Audet facundo q̄bi carmina mittere Nerue,  
Pallida donabit, glaucina, Cosme, tibi. Martial. l.  
9. epigr. 27.*

**Hornotinus**, ab hornò, adverbio temporis, ideoq̄ve juxta regulam præcedentem penult. corripit. De hornò egregie *Vossius Etym. L. L.* Ab hornus, inquit, est adverbium hornò, hoc est, hòc anno, cui opponitur adverbium anno, hoc est, pridem, quasi dicas, jam ante annum. Ita enim voce anno usus *Plautus Menæch. act. I. sc. III.* Quatuor minis ego emi istanc anno uxori mee. Hornò usurpat *Varro, Eumenid: ut docet Nonius, q̄vi & Lucilli illud citat, libr. XXVIII.* Utrum anno, an hornò te abstuleris à viro. Ab hornò, ut *Priscianus testatur lib. II. est hornotinus, nempe ut à diu diutinus, estq̄ idem quod hornus.* Hæc *Vossius.* Quia ergo annotinus descendit ab adverbio temporis, anno, ut ab hornò hornotinus necesse est penult. ejus itidem corripit. Sic perendinus à perendie, pristinus à pridem, serotinus à serò, adverbis temporalibus penult. corripunt. Rectè proinde ex *Prisciano* hanc observationem producit *Pincierus: Adjectiva in INUS quæ nascuntur ab adverbis temporalibus, penultimam habent brevem, ut diutinus à diu, crastinus à cras, perendinus à perendie, pristinus à pridem, serotinus à serò, hornotinus ab hornò, id est, hòc anno; matutinus autem, & vespertinus, quia à nominibus Matutà & Vesperò sectuntur, penultimam habent longam.* Hactenus ex *Prisciano Pincierus.* De voce serotinus, extat quoque illud *S. Hilarii Gen. 25.*

*Et caliganti premeret serotina nocte.*

De voce pristinus ita *Ovid. Met. 3.*

*Non sua fluxerunt; mens tantùm pristina mansit.*

De

De voce *perendinus* ita *Plaut. in Trin. v. ult. Trochaico:*  
*Tu in perendinum paratus sis, ut dicas, Plaudite.*  
*Craſſinus & diutinus jam ante ex Virg. & Plauto confir-*  
*mavimus.*

**Hyacinthinus**, ab hyacintho gemma:

*Hic aliquis, cui circum humeros byacintina lana est.*  
*Perſ. Sat. 1.*

Et à flore.

*Talis in vario solet*

*Divitis Domini hortulo*

*Stare flos byacintinus. Catull. 62. epithal. Julie.*

**Ianthinus** *ἰάνθινος*, viola. *Plin. l. 21. c. 6. Ex iis verò*  
*violis, quæ sponte apricis, & macris locis proveniunt, pur-*  
*purea, latiore folio statim ab radice carnosâ exeunt, solâq;*  
*Græco nomine à cæteris discernuntur, appellata iâ, ut ab his*  
*ianthina vestis:*

*Coccina famosa donas, & ianthina mœcha. Mart. l. 2. 39.*

**Murrhinus**, à murrhâ lapidis, seu argillæ, seu odora-  
menti genere, unde vasa olim conficiebantur. *Plin. l.*  
*37. c. 2. Oriens, inquit, murrhina mittit ex humore sub*  
*terrâ calore densata. in pretio sunt ob nitorem, & coloris*  
*varietatem, purpurei, candidi, & tertii ignescentis. Ali-*  
*qua & in odore commendatio est. Scaliger, & alii existi-*  
*mant hodierna porcellana esse. Cæterum descriptio*  
*Plinii adversatur, neque enim porcellana hodierna odo-*  
*rifera sunt; neque saporem infusi humoris nobilitant,*  
*quod de murrhinis narrat Martialis l. 4. epigr. 113.*

*Si calidum potas, ardenti murrha falerno*

*Convenit, & melior fit sapor inde mera.*

De murrhinis autem porro:

*Sur-*

De

*Surrentina bibis: nec murrhina picta, nec auram*

*Sume: dabunt calices hac tibi vina suos. Martial.*  
l. 13. ep. 110.

*Et turbata brevi questus crystallina vitro,*

*Murrhina [alii legunt myrrhina] signavit, seposu-*  
*itq; decem. Mart. l. 9. ep. 60.*

*De vino myrrhinâ, sive murrhinâ videatur Plin. l. 14.*  
c. 13. Cujus penult. itidem brevem esse constat, quod  
vinum myrrhinam tradat myrrhæ, [re scilicet inani-  
mi] odore conditum esse.

**Oleaginus** ab arbore oleâ:

*Truditur è sicco radix oleagina ligno. Virg. 2. Georg.*

**Oporinus**, vide *cbimerinus*.

**Perendinus**, vide *bornotinus*.

**Prasinus**, à *πρασινόν*, porrum, color viridis.

*De prasino convivæ meus, Venetog; loquetur. Martial. l.*  
10. epigr. 48.

*Si Veneto, prasinoq; faves, qui coccina samis. Martial. l.*  
14. epigr. 131.

*De nostrâ prasina est synthesis emptæ togæ. Martial.*  
l. 10. c. 29.

**Sapphirinus**, a sapphirò gemmâ,

*Sapphirino, viridi, maculoso, cerulo & albo. Alcim. 4.*

Ubi tamen antepenultimam perperam corripuit, quia

Græcis est *σάπφειρος*.

*Solis enim, ac luna sapphirina stabat imago. Millieus.*  
l. 2. Reg.

**Smaragdinus**, à smaragdo gemmâ. *Apicio 3. 1. smarag-*  
*dinum olus, laudatur.*

*Has inter species smaragdina gramine verno. Prud.*  
*Pfychom. 897.*

Quia

Quia tamen *Lucretio, Ovidio, Claudiano, Martiali* prima in voce *smaragdus* corripitur, ab eorum decretis hac parte neutiqvam recedendum.

**Thalassinus**, à *θάλασσα*, mare, thalassina vestis est coloris subcœrulei, ad similitudinem fluctuum marinorū.

*Auro includuntur, teriturq; thalassina vestis. Lucret. l. 4.*

**Therinus**, vide *Chimerinus*.

**Tyrianthinus**, id est, violaceus, sive purpureus, à flore Tyrio, qui purpurei est coloris, ut tradunt *Rad: & Domit. ad Mart.* vel à Tyrius & ianthinus, de quo ante.

*Urbica Lingonicus Tyriantbina bardocucullus, Martial. l. 1. epigr. 54.*

**Xerampelina** vestis, est coloris siccæ rosæ, vel cujusmodi est in autumnalibus vitis frondibus, à *ξηρὸς* siccus, & *ἀμπέλος* vinea, vitis.

*Et Xerampelinas veteres donaverit ipsi. Juvenal. Sat. 6.*

Ex amplâ hac messe facile fuerit colligere, quo accentu enuncianda sint cætera in INUS adjectiva naturæ simillimæ, quæ ordine nunc sequuntur:

Abrotoninum oleum *Dioscoridi*; alabastrinum unguentum *Officinis pharmaceuticis*; aloëphanginæ pilulæ *Officinis*; ἀμάρυλλος & φασ. *Philostrato*; anacardina nux, & confectio *Officinis*; anethinum oleum *Dioscoridi*; anethinum vinum *Dioscoridi*; anthracinæ vestes *Varroni*; anthracina fortuna *Plauto*; asbestinum linum *Plinio*; balaninum oleum *Plinio, & Dioscoridi*; balaustrini flores *Officinis*; bombacinæ vestes, vide *bombycinus*; capparinum oleum *Officinis*; carinum, seu rectius caryinum oleum *Plinio, & Dioscoridi*; caryocostinum electuarium *Officinis*; cedrinum vinum *Dioscoridi*; chamæmelinum oleum *Officinis*; chamæpityinum vinum *Dioscoridi*; chei  
C rinum

rinum oleum *Officinis*; chortinum oleum *Plinio*; cici-  
num oleum *Plinio*, & *Dioscoridi*; cinnamominum oleum  
*Plinio*, & *Dioscoridi*; cnecinum oleum *Plinio*; cnicinum  
oleum *Dioscoridi*; cucurbitina pyra *Catoni*, & *Plinio*; ey-  
prinum oleum *Dioscoridi*; cyparissina resina *Dioscoridi*;  
daphninum oleum *Dioscoridi*; duracina uva *Svetonio*;  
electrina patera *Trebellio Pollioni*; elatinum oleum *Dio-*  
*scoridi*; funginum genus *Plauto*; gleucinum oleum *Di-*  
*oscoridi*, *Plinio*, *Columelle*; gossypina turunda *Officinis*;  
halosanthinum vinum *Dioscoridi*; hyoscyaminum ole-  
um *Plinio*, & *Dioscoridi*; irinum oleum *Dioscoridi*; iri-  
num unguentum *Plinio*; juncinum oleum *Plinio*; juni-  
perinum oleum *Officinis*; laurinum oleum *Plinio*; leu-  
tiscinum oleum *Plinio*; lirinum unguentum & oleum  
*Plinio*; malabathrinum unguentum *Dioscoridi*; masti-  
chinum oleum *Dioscoridi*; melanthinum oleum *Diosco-*  
*ridi*; melinum oleum *Dioscoridi*, & *Plinio*; moschelli-  
num oleum *Officinis*; myrtinum oleum *Dioscoridi*, *Pli-*  
*nio* myrteum; narcissinum oleum *Dioscoridi*; narcissi-  
num unguentum & oleum *Plinio*; nardinum oleum *Di-*  
*oscoridi*; unguentum nardinum, & pyra nardina *Plinio*;  
ocyminum oleum *Dioscoridi*; œnanthinum oleum *Dio-*  
*scoridi*, & *Plinio*; onychina pyra *Plinio*; onychina pruna  
*Columelle*; omphacinum oleum *Dioscoridi*, & *Plinio*; pa-  
paverinum oleum *Officinis*; rectius forsan papavereum,  
ut papavereæ comæ *Ovidio*; phaselinum oleum *Plinio*;  
pissinum oleum *Plinio*; populinum unguentum *Offici-*  
*nis*; quercinum viscum *Officinis*, latine qvernum; ra-  
phaninum oleum *Dioscoridi*, & *Plinio*; rhodinum oleum  
*Dioscoridi*; rhodinum unguentum *Plinio*; saccharinum  
alumen, saccharinus panis *Officinis*; saccharina canna  
*Tabernamontano*; sambucina aqua *Officinis*, rectius for-  
san

san sambucea, ut sambucea arbor *Plinio*; sampsuchi-  
num oleum *Dioscoridi*, & *Plinio*; santalinum lignum *Of-  
ficinis*; scillinum acetum *Plinio*; sesaminum oleum *Dio-  
scoridi*, & *Plinio*; sinapinum oleum *Dioscoridi*; srobilina  
resina *Dioscoridi*; styracinum unguentum *Dioscoridi*; su-  
sinum oleum *Dioscoridi*, & *Plinio*; tartarinum corpus  
*Ennio* apud *Varronem*; telinum oleum *Dioscoridi*, & *Pli-  
nio*; terebinthinum oleum *Dioscoridi*; terebinthina re-  
sina *Plinio*, & *Columella*; therminum oleum *Plinio*; to-  
phini carceres, tophina meta *Svetonio*; xylinum lium  
*Plinio*.

Et hæc uniuersa penultimam agnoscunt brevem,  
neque est quod de *fungino*, *scillino*, *sementino*, & *susino*,  
diuersa quisquam suspicetur. Existimavere quidem  
nonnulli *funginum* *Plauto* efferi penult. productâ cum  
ita *Trinum: Act. 4. Sc. 2.*

— pol, inquit, hic quidem

*Fungino genere est, capite se totum tegit* —

Cæterum ex eo reselluntur, quod huiusmodi versus  
Iambici trochæum primo, tertio & quinto locis non  
fastidiant, ut pluribus vel ex eadem scenâ exemplis pos-  
set demonstrari. De *scillino* ita *Plinius l. 23. c. 2. Acetum  
scillinum inveteratum magis probatur.* A scillâ, sive squil-  
lâ plantâ dictum. Sed obstat penultimam corripienti-  
bus *Serenus Sam. qui tit. hydrop. curand.* in hunc mo-  
dum scribit:

*Sape & scillino pelluntur noxia Baccho.*

Verum quia apud *Galen. l. 1. de Antid.* penultima cor-  
ripitur in versu ibi adducto, legendum hic vel *scillite*  
[quæ vox *Palladio*, *Columella*, *Plinio* usurpata] vel *scilli-  
tico*, ut ex membranâ docet Commentator insignis *Keu-  
chenius: [cui tamen obstat apud Galenum l. 1. de An-  
tid.*

sid. ubi docetur ἀπίστων σκεδαστικῶν εκδασία] vel potius denique hic excidisse sibi putandus Serenus, ut jam ante tit. phrenes. & cap. purg.

Ex vitio cerebri phrenesis furiosa movetur.

De quo Keuchenius: incurrit hic vitium Prosodiacum Serenus contra originem vocis, & veterum Poëtarum morem quod obiter est observandum.

Cum furor haud dubius, cum sit manifesta phrenesis.

Juvenal. Sat. 14.

Sementinus à semente dictus, creditur penult. producere, quòd Ovid. I. Fastor. ita:

Nec Sementina est ulla reperta dies.

Sementinae feriae à Romanis celebratae, ut sementis grandesceret. Sementina pyra Catoni de R. R. cap. VII. laudantur, & Plinio libr. XV. c. XV. Sed verò omnibus his locis non sementinus, sed sementivus esse legendum, jam ante ex fide plurium manuscriptorum prolixè ostendit Nic. Heinsius in l. 1. Fast. Ovidii.

Susinus denique videri potest penult. producere, ac si à nomine Urbis Susa descendat, ut Tarentinus, Agrigentinus, Alexandrinus, Numantinus, Byzantinus; cæterum susinus à σῆον, ἄ, π, lilium, derivatur, non à metropoli Persarum. Contra metropolim illam à liliorum infinità copiâ circa eam urbem nascente traxisse originem auctor est Stephanus; & susa vocem vel Persicam esse, vel Phœniciam, atque lilia significare, testantur alii.

Atque hæc Adjectiva in INUS tantò sollicitius persequi decretum fuit, quòd certius constat non pharmacopœos duntaxat, sed & eruditos quandoque, & lexicographos hic non leviter hallucinari.

Amba-



Ambarum, pro ambrâ penult. corripit ex analogia, ut  
asarum, rhabarbarum, cammarum, cantharum. Hinc  
apud *Laur. le Brun* in *Elogv. Poët*:

*O Dea, & ambareos mundus respirat odores.*

Ammoniacum gummi, & sal, penult. corripit.

*Cumq̄, Ammoniaco mascula thura sale. Ovid. de' med.  
faciei.*

Malè autem *Vindicianus* penult. producit, & pejus o  
corripit, cùm *Nicander* vocem hanc per ω exprimat, &  
*Virg. 4. Æneid.* ita:

*Hic Ammone satus raptâ Garamantide nymbâ.*

Amomi semen, penult. producit, quia *Dioscoridi*, & *Galeno*

ἀμωμον: his adde:

*Pingvescat nimio madidus mihi crinis amomo. Martial.  
l. 5. epigr. 65.*

Amylon, quibusdam amydon, penult. corripit.

— ἐγὼ δὲ τοι ἐδί' ὄσον ἴσταν  
*Σχέματ' α, ἢ νωδὸς καρῶων, ἀμύλιον πικρόντος. Theocr.  
Idyll. 9.*

hoc est, Ego tantillum curo hyemem, vel quantum  
edentulus nuces, pulte appositâ.

Anacardina nux, & confectio, vide amaracinum, & seqv.

Anatis axungia, penult. corripit.

*Latipedemq̄, anatem cernens excedere ponto. Avien. in  
Arat.*

*Anates, maritas junximus. Jamb. dim. Auson. ep. 3.*

Anethum, penult. prod. quia *Dioscoridi* & *Galeno* ἀνηθον.

Præterea:

*Narcissum, & florem jungit bene olentis anethi. Virg.  
ecl. 2.*

Angelica, pen. corripit, sic dicta vel à præmonstratore Angelo, vel viribus efficacissimis, & pane Angelicis.

*Angelici Christo famulantur ritè ministri. Sedul. l. 2.*

Aninæ gummi, rectius gummi *amina*, vel *aminne*; penult. producitur; corruptà à Lusitanis voce *Anima* nunc vocatur, & animum; opportunius *Serapioni* myrrha *aminæa*, quæ & ipsa videri potest *αμύρα* illa *αμιννέα* esse, de qua *Dioscorid. l. 1. c. 77.* quæ nunc ex Indis affertur, unde pen. prod. quasi *aminne*. Denique cum *mi* in *amineus*, si & ad illa quisquam provocet, *Virgilio*, *Dioscoridi* & *Sereno* producat, *ni*, quod ejus nunc loco substitutum est, produci quoque oportet.

*Sunt & Aminæa vites, firmissima vina. Virg. 2. Georg.*

Ubi male legit *Farnabius*: *Sunt etiam Aminæa. Servius ad locum illum: Sunt & Aminæa vites. Aminæum, inquit, vinum dictum est, quasi sine minio, id est sine rubore, nam album.* Et album quidem etiam hoc gummi est, sed à minio, cujus prima brevis, nequaquam descendit.

*Aut in Aminæo cocleas baurire Lyco. Seren. tit. Isch.*

*Succus Aminæa vitis cum pane medetur. Seren. tit. sol.*

*ventr.*

Quod si *Ausonius mi* corripit, exploratum est, ab illo jura quantitatam, reluctantibus veteribus, non esse petenda. *Αμιννέα* dicitur *Hesychio*; *Celso* vinum *Aminæum*, *Dioscoridi* *αμιννέα* *αφολή*. Quæ omnia ostendunt penult. in *Amineus* produci, adeoque *mi* in eadem voce, à *Virgilio*, stante lege carminis, nequaquam potuisse corripit. Videantur quæ in eandem prope sententiam disputat diligentissimus *J. Rhodius* ad *Scribon. Largum*.

Ani-

Anisum, Dioscoridi l. 3. c. 65. ἀνίσον.

Feniculum<sup>q</sup>, anisum<sup>q</sup>, chelidonium<sup>q</sup>, crocum<sup>q</sup>. Honr.

4. Cos. 162.

Neque injuriâ penult. corripit *Honterus*; meruit enim ex eo nomen, ὅτι αἰήσι πρὸς ἐμπνοματώσεως τὸ σῶμα τ⊕, id est, quòd tensiones flatulentas laxet, remittatque, quæ sententia est *Gerh. Vossii*, & *Casp. Bauhini*. Ἰησι, autem quibus gaudeat quantitatibus docet *Theognides*:

Νοσθοιδῆς δ' ἄλλη γλῶσσαι ἰησι κακλῶ. id est, separatus verò aliò improbam linguam mittit. Neque aliter Anisenum flumen extulit *Fasī. 4. Ovidius*:

Jamq; Leontinos, Anisenag; flumina cursu

Præterit.

Abfit ergo ab ore emendatè loquentium illud *Milliæi*:

Sive vaporifero tunicas inducat aniso;

Si autem penult. producere decrevit *Miliæus*, imitetur potius *Andromachum* apud *Galenum libr. de Theriac. ad Pisonem*, qui ut id auferet σ duplicavit & ἀνίσον versu expressit, vel cum *Nicandro* scribat ἀνίσον, anesum.

Anodynum unguentum, emplastrum, oleum; *Galeno ad Glauc. αἰώδυνον φάρμακον*, penult. corripit, ab ὀδύνη & nonnunquam ἰδύνη, dolor.

Ἔασοντι ἀκμῶ τ⊕ καὶ αἰώδων τ⊕. ἔδρε πὸς φλόξ. *Nicander in Alex.*

Anserina planta, penult. prod. Vide Reg. de Adjectivis in INUS ex animatis.

Anthera rosarum, penult. reddit communem; & longam quidem, quòd *Plutarcho*, & *Isocrati* scribatur ἀνθηρῆς, ἄ, ὄν; brevem autem, quia *Homerus* ita *Il. v.*

Ἄκρον ἔπ' ἀνθερίκων καρπὸν θεόν, ἔδρε κατέκλων. id est, per summum spicarum fastigium decurrebant, nihil frangentes. *Antho-*

**Anthora**, penult. corr. quia ab *αἰὼν* & *Φροσά*, alexipharmaca planta, aliis napellus Mosis [de quo videndus *Plempius*] pluribus aconitum salutiferum appellata.

**Antidotus Mithridatica**, *Matthioli* &c. penult. corr.

1 *Antidotus verò multis Mithridatica fertur  
Consociata modis — — Seren. Sam. tit. ve-*

*nen. prohib.*

**Antimonium**, pro sibiō, vox *Officinarum*; penult. corr. ob vocalem ante vocalem.

**Aparine herba**, penult. prod. vide *Alfinea*.

**Apium herba** penult. corripit:

*Et virides apio ripa, tortusq; per herbam. Virg. 4. Georg.  
Tunc apii succus leni sociatur olivo. Seren. tit. substit. dol.*

**Aquilegia**, pen. corr. ob vocalem ante vocalem in Latinis, aut, ut hæc est, Latino-barbaris vocibus. Dicitur quasi *aquilina*, à mucronibus florum aduncis instar ungvium aquilinarum, ut *Baubino* & *Bod.* à *Stapel* visum; non ab urbe Aquileja, quæ tamen & aliquando apud Poëtas quinque syllabis constat, & penultimâ tum brevi exprimitur:

*Nec non cum Venetis Aquileia perfurit armis. Sil. l. 8.*

**Ardeæ pingvedo**, pen. corripit:

*Urbis & ipsa suis deplangitur ardea pennis. Ovid. Met. 14.*

**Aregon unguentum**, penult. prod. quia *ἀργόν*, seu auxiliare habetur ab *ἀργύρα* auxiliator, hinc *ἀργύρων*, ὄν, ὄ, ἦ, auxiliator. *Homer. Il. 8.*

**Aristolochia longa & rotunda**, penult. prod. *Dioscoridi l. 3.*

*c. 4. Ἀριστολοχία ὀνόμασται μὲν διὰ τὸ δοκεῖν ἀεὶ καταβοῆειν ταῖς λοχίαις. id est, aristolochia ex eo nomen invenit, quod puerperis optime credatur opitulari. *Plin. l. 25. c. 8.**

Inter

Inter nobilissima aristolochiæ nomen dedisse gravidæ  
videntur, quoniam esset ἀρίστη λεχῆσσις. Penultima in  
voce *Aristolochia* haud dubiè producenda, quando eti-  
am apud *Hippocratem* sæpissimè adsit diphthongus ex-  
pressè *λ. πει γυυαυκῶν*, & alibi *λοιχίη κάθαρσις*; accedit,  
quod *λόχια* atqve *λοχίαι* eidem nullo discrimine usur-  
pentur. Neque verò insolens est diphthongum *ei* in  
longum abire, hinc *Thalia* *Virgilio*; *Sperchius* *Ovidio*;  
*Heraclitus* *Lucretio* penult. productâ efferuntur. Quò  
forsan respexit *Honterus* 4. 181. cùm scriberet:

*Cum sæno Græco staphylinus, aristolochia.*

Sed omnem dubitationem amolitur *Nicander*, qui in  
*Tberiacis* ita;

Ἐν μὲν δρισηλόχεια, καὶ ἰεῖδῳ, ἐν δὲ πινάρδῳ.

Ἡ πὶ ἀριστολόχεια παλίσσιμι ἰδατίοιτο. Idem.

Et Poëta apud *Galen.* l. 1. de *Antidot.*

Ἀεπῆ δρισηλόχεια, καὶ ὄρχις κάσσοῦ εἶη.

*Armena* bolus, rectius *Armenia* bolus, quomodo *Pli-  
nius* l. 34. c. 6. colorem Armenium dicit; *me* autem sem-  
per corripitur, ut exempla docebunt:

*Daphnis* & *Armenias* curru subjungere *tigres*

*Instituit.* — — — *Virg. ecl. 5.*

Numquid apud *Partbos*, *Armeniosq;* latet? *Martial.*

*l. 5. epigr. 59.*

*Armeniisq;* [scilicet pomis] & *cereolis*, *prunisq;* *Damasci*

*Stipantur calathi* — — — *Colum. l. 10.*

*Arsenicum*, de quo *Dioscor.* l. 5. c. 121. & *Plin.* l. 34. c. 18.  
dicitur quasi *ἀρσενικόν*, id est, masculinum quiddam, vel  
*ἀρρηνικόν*, ut placet *Eustathio*, unde masculinum genus  
*Grammaticis* *ἀρσενικόν γένος*. Penult. corripit ut cate-  
ra adjectiva in *ικος*, *περακτικός*, *καθαρτικός*, *φυσικός*, *ικπερι-  
κός*, *φθισικός*, &c.

D

Arte-

**Artemisia**, *Dioscoridi l. 3. c. 127.* Ἀρtemισία, sive ab Artemisia uxore Mausoli, sive ab Artemide, id est, Diana, sive denique ab ἀρtemis, quod *Suida* integrum, incolu- memque notat, derivetur, pen. corripit, quia semper Græcis scribitur Ἀρtemισία sine diphthongo, videatur *Dioscor. l. 3. c. 127. & 128.*

**Arthanita**, unde unguentum de arthanitâ majus *Mesuae*. Arthanita [*Ibnt sine*, seu *Avicennæ* Arthanitha ex *Plempio*] *Mesuae & Lobelio* est cyclaminus orbiculatô foliô infer- nê purpurascente. Arthanita, si Græco fonte cadat, penult. producet, quia ab ἀρτανη deducetur, quod est laqueus, lorum, quippe caulibus suis tanquam laqueis, seu capreolis vicinas arbores involvit, quod & *Diosco- ridi l. 2. cap. 95.* observatum. Derivata autem in ITES penult. prod. jam ante pluribus demonstratum est, vi- de abrotonum.

**Arthriticæ** pilulæ, Officinis quibusdam *arthetica*, sicut & iva arthetica *Sennerto de arthrid.* placuit ex *Paracelso*, pro iva moschatâ *Tabern.* seu botry chamædroide *Baubini*, seu chamæpity alterâ *Dodonæi*: penult. corr. ut cætera Ad- jectiva in nos, de quibus superius.

**Asarum**, *Dioscoridi l. 1. c. 9.* ἄσarov, penult. corr.

*Agaricumq̄, asarumq̄, potens, aloënḡ, aconitum. Vin- dician. 55.*

Si quis obducat *asarum*, apud *Avicennam* penult. pro- ducere, at *asarum* enim eidem appellari, accentu penult. longam demonstrante, respondendum, non teneri nos legibus *Avicennæ* in vocibus Græcis dimetiendis, sed Græcorum stare arbitrio, à quibus easdem mutuatus est *Avicenna*, & more lingvæ Arabicæ paulum in alienâ soni similitudinem detorsit. Id quod manifestè ab eo factum

factum videmus non in *asaro* tantum, sed in plurimis  
 aliis, exempli gratiâ, *acacia*, *Avicenna* est *akbakkia*; *a-*  
*garicum*, *garikun*; *agallochum*, *agalagion*, & *agalougii*;  
*amomum*, *Hbamâma*; *anisum*, *anitsun*; *asarum*, *arsâ-*  
*run*; *britannica herba*, *berttanikbi*; *bulbus*, *bulbutis*;  
*cannabis*, *Kbinneb*; *cardamomum*, *Kbordamâna*; *ca-*  
*rum*, *Karwia*; *centaurium*, *Kbentthauriun*; *chalcäu-*  
*thum*, *Kbalkand*; *caryophyllon*, *charanfol*; *chamædrys*,  
*Kamadriuts*; *chamæleon herba*, *chamalâun*; *chamæpi-*  
*tys*, *chamafitbutis*; *charta*, *Kbirtthats*, *chelidonium*,  
*Kalidouniun*; *cimolia terra*, *Kbimulia*; *costus*, *Kboſt*;  
*crambe*, *Kiramb*; *crocomagma*, *Kborkboumagma*; *cy-*  
*claminos*, *Fekhilaminus*; *cymion*, *Kemmun*; *epithy-*  
*mum*, *efithsimun*; *euphorbium*, *forbiun*; *phu*, *fu*; *ga-*  
*gates lapis*, *gagârbi*; *gentiana*, *gienttbiana*; *gypsum*,  
*giibtsin*; *hypericon*, *hierufarikbun*; *hypocistis*, *heſo-*  
*kbiſtbidâttis*; *ιασμήν*, *iatſimin*; *limonium*, *limouniun*;  
*magnes*, *etis*, *magnettbits*; *magnesia*, *magnitsia*; *masti-*  
*che*, *madſtiske*; *narcissus*, *nargiuts*; *nardus*, *nardin*;  
*nitrum*, *nittbrun*; *opium*, *aſiun*; *pæonia*, *fawania*; *pe-*  
*troselinum*, *fettbraſeliun*; *pistacia*, *fiſtâkk*; *ploricum*,  
*fetsurikun*; *rheum*, *reiwand*; *saccharum*, *ſukkar*; *ſaty-*  
*rium*, *ſatthuriun*; *ſcammonium*, *ſakbmunia*; *ſcandix*,  
*ſekbanduts*; *ſcolopendrium*, *ſokbulufendriun*; *ſcordi-*  
*um*, *ſokhorodiun*; *ſefeli*, *ſiſaliuts*; *ſium*, *tsiun*; *ſmyrni-*  
*um*, *ſemurniun*; *ſphondylium*, *ſefunduliun*; *ſymphy-*  
*tum*, *ſumfûtbun*; *thapſia*, *taſtia*; *telephium*, *Ttbal-*  
*ſiun*; *Zingiberis*, *Zengiebil*. Hic ſi accentus *Avicenna*  
 probandus, dicendum nobis foret *acacia*, *agaricum*,  
*asarum*, *britannica*, *chamæpitys*, *cimolia terra*, *cheli-*  
*donium*, *epithimum*, *limonium*, *magnesia*, *opium*,  
*pæonia*, *ploricum*, *ſatyrium*, *ſcammonium*, *ſcolopen-*  
*drium*,

drium, scordium, smyrnium, sphondylium, symphytum,  
 thapsia, telephium, pen. longâ, contra vocum originem,  
 & latas à Græcorum, Latinorumq; curiosissimis leges.  
 Debet has voces *Dioscoridi*, & *Galeno Avicenna*, quos ex-  
 cusit studiosissimè, ut passim ex libris ipsius, atq; inter  
 alia ex *Canon. med. l. 2. tr. secundâ* intuentibus obvium  
 est. Cæterùm an tacente Græciâ, & Latio, ad accentum  
 Arabum provocandum sit, in vocibus, quas officinæ  
 pharmaceuticæ debent Arabicæ scholæ, controversia  
 est longioris forsân subsellii. Vero simillima videtur  
 sententia, Arabica illa legibus Græcorum, & Latinorum  
 subjicienda esse, tum quia civitate latinâ pharmaceu-  
 ticâ jam diu fuere donata, tum quia Arabicum accen-  
 tum ex enumeratis facilè colligimus naturæ Græca-  
 rum, Latinarumq; vocum sapissime adversari. Ut  
 mittamus, nè Græcarum quidem vocum pronunciatio-  
 nem, extra continuum sermonem Græcum spectatam  
 ab accentibus Græcis pendere, sed à propriâ vocum  
 naturâ. Inter cætera Arabibus debentur sequentes  
 pharmacopolorum voces, unguentum de arthanitâ;  
 ab Arabico *artthanithsa*; ambra & ambarum ab *ambar*;  
 santalum à *dsantal*; sal alkali, à *khali*; camphora &  
 caphura à *kafur*; carabe à *kabreba*; alkekengi à *kakengi*;  
 carthamum, à *khartam*; cubebæ à *kebâba*, vel Indorum  
*cubab*; colcothar vitrioli à *kholkbottbar*; coton, onis,  
 pro gossypio, à *kbottun*; cuscuta à *kusjoutbs*; lapis lazuli,  
 lazurium, à *lazul* & *lazuward*; marchasita, à *markbasjitbsa*;  
 mumia à *moumija*, nenuphar à *nilûsar*; secacul  
*siekbâkbul*; sebesten à *tsebestân*; sumach à *tsumâkb*; tur-  
 bith & turpethum à *turbed*; tutia à *toutia*; usnea ab  
*usina*; zibebæ à *zebib*. Sed & harum vocum quasdam à  
 Græcis initiis emanasse (de quibus suo loco) justa su-  
 spicio



spicio est, & quæ non emanavere, ad positiones vocalium ante vocales, & analogiam Græcorum, latinorumq; vocabulorum, ut quæ jam diu civitatem latinam intraverint, meritò se se accommodabunt. Ubi tamen in Græcis, Latinisve nulla regula, nulla analogia conveniens reperitur, accentum Arabum sequi oportebit, & ita penultima τὸ nenuphar, τὸ secacul. producenda.

**Aspalathus**, Dioscoridi ἀσπάλαθος pen. corr.

*Aspalathum, gallam, elleborum, nigrumq; bitumen.*  
*Vindician. v. 49.*

**Asparagus** pen. corr.

Ἄσπαραγος τὸ ἀσπαραγὸς ἰαμνίτιδος, ἢ ὄσπρον πύκναι. Nicand.

*Theriac.*

*Asparagi posito quos legit villica fuso. Juvenal. Sat. XI.*

**Asphodelus** pen. corr.

Ἄσφodelos ἀσφodelos διαίτης ἄλλοσι πύκναι. Nicand. in Theriac.

**Axungia** pen. corripit.

*Quodq; recens ussit glacies, axungia simplex*

*Mulcet. — — — Seren. tit. combust.*

**Balanus Myrepfica**, pen. corr. videatur *Myrobalanus*.

**Balsamita**, pen. producit, ut cætera derivata in τῆς, quæ & Latinis sæpe in à exeunt, ut Συβαρίτης, Sybarita, παλαιστρίτης, palæstrita.

**Balsamum** angelicæ, apoplecticum, embryonum, vulnerarium, &c. Balsamum cum initio ex Judæa acceperint exteræ gentes, ut ex *Plin. l. 12. cap. 25.* colligitur, non displicet, quod ajunt, sic ob præstantiam vocari quasi *baal-schemen*, id est, princeps, sive dominus olei, de quo prolixè in *Etym. Kosius*. Latini quidem penult. corripuere:

*Balsamag, & baccas semper frondentis acantbi. Virg. 2.  
Georg.*

*Candida felices sudent opobalsama virga. Stat. 3. Sylv. 21  
Balsama qui semper, cinnamon semper olet. Mart.  
l. 3. ep. 63.*

*Nicander tamen Græco versu heroico, tum in Theri-  
cis, tum Alexipharmacis penult. manifestè producit. An-  
dromachus senior, Neronis Archiater, carmine elegiaco  
penult. jam produxit, jam corripuit ut apud Galenum  
videre est libro de Theriaca ad Pisonem.*

**Basilicon** emplastrum, penult. corr. ut cætera adject.  
Græca in *ικς, χαμμαλικς, κοκλικς, κελικς*, sic βασιλικς.  
Quod autem *Officina* plantam *basiliconis* nominant, in  
eo labuntur, rectius enim *basilicum*, i, dicitur, quàm *ba-  
silicon, onis*, ita enim Græci recentiores *ὄκμιον βασιλικόν*  
appellavère, à βασιλικς, ἔ.

**Bardana**, pro lapatho personato, vox *Officinis* cognita,  
& *Dodonæo* usurpata; dicta videri potest à bardo, quæ  
vox inter alia cantorem & Poëtam designat, ut prolixè  
in *Etym.* demonstrat *Vossius*, & in *Lex. Phil. Martinus*.  
Et certè cantores in Comædiis lappæ hujus foliis faci-  
ciem obvelabant, nè agnoscerentur spectatōribus, unde  
personatam dici constat, & Græcis *περσώπιον*. His nata-  
libus si insistendum, pen. producet, genitivo plurali, &  
analogiâ svadentibus; bardorum enim & bardarum  
flexus bardanam longam efflagitat, ut à quintus quin-  
torum & quintarum facit quintanam. Ita à primus  
primana, à septimus septimana, à vicissimus vicissimana,  
à quartus quartana.

*Sava nocens febris saltem quartana fuisse. Mart. l. 10.  
ep. 77.*

Bdel-

**Bdellium**, *Dioscoridi l. 1. cap. 80. Βδέλλιον*; pen. corr. quia  
Græcis scribitur sine diphthongo, ut chelidonium, &c.

**Becchici trochisci**; *becchion*, de quo *Dioscor. l. 5. cap. 126.*  
tussilago est, hinc becchicus pen. corr. ut cyclicus, gram-  
maticus, logicus, cynicus, hecticus.

**Belliricæ myrobalani**, aliis beleticæ, pen. corr. ut Illy-  
rius:

Adde quòd Illyricâ si jam pice nigrior effem. *Ovid. 4.*  
*de Pont. el. 14.*

**Benzoë**, sive *Belzoë*, vox peregrina est, eòq; incertæ no-  
bis pronunciationis, quam libet tamen in penult. cor-  
ripere, ut aloë, ob vocalem ante vocalem; Benzoinum  
autem, sive belzoinum oleum pen. corripiet, ad naturam  
cæterorum adj; in INUS ex inanimatis descendentium.

**Berberis**, vox antiquis ignota, quæ tamen secundum  
analogiam penult. corripiet, ut verberis, piperis, can-  
tharis, Bassaris, Tyberis, Phalaris.

**Betonica herba** pen. corr.

*Betonicam ex duro prodest assumere Baccho. Seren. tit.*  
*hom. mors.*

*Betonicæ vè leves, gallinæ aut jura vetusta. Seren. tit.*  
*serp. mors.*

*Cestron betonicam soliti sunt dicere Græci. Macer de*  
*herb. 40.*

*Vossius derivat à Vettonibus, Lusitanæ populo. Vide*  
*& Plin. l. 25. c. 8.*

**Betulæ succus**, pen. corr. ut cætera diminutiva in ula.,  
assula, bucula, sportula. Neq; enim ei à Bethulia oppi-  
do nomen, sed à batuo, ut betula sit quasi batula, quòd  
non tantum in coercendâ puerorum ignaviâ adhibea-  
tur, sed & olim fascis Magistratûs armaret. De quò  
*Plinius*

*Plinius*

*Plinius l. 16. cap. 18. Gaudet, inquit, frigoribus sorbus, & magis etiam betula. Gallica hæc arbor mirabili candore atq; tenuitate, terribilis Magistratum virgis. Perperam in ult. Plinii editione legitur betulla.*

**Bezoar**, belzahar, badzahar, bedezaher, voces Arabicæ, Persicæ, & ex Hebræis fontibus detortæ, de quibus videndus *Martinus*. De penultimæ moræ ambiguum est iudicium, nisi quod opportunius videatur corripienda, tum quia id factitatum videmus à mercatoribus, qui lapides hos ex Indiis, & Perside asportant, atq; ideo pronunciationem gentium orientalium sequuntur; tum quia vox ipsa donata jam civitate latinâ, ad Latinorum quoq; regulam, vocalium ante vocales, meretur exigi.

**Bitumen** pen. prod.

*Sparge molam, & fragiles incende bitumine lauros,*  
*Virg. Ecl. 8.*

**Bombax**, acis, bombacinus, vide *bombycinus*.

**Bovini** cruris axungia, Officinis quibusdam; vox Latinis auribus insveta, cuius loco *bubulum crus* substituendum.

**Brassica**, pen. corr.

*Frenat commisso quum fervet brassica vino, Seren. tit.*  
*solut. ventr.*

**Bryonia**, pen. corripit;

*Nec metuit senteis, nam vepribus improba surgens*  
*Acbrados, indomitasq; bryonias alligat alnis. Columell. l. X.*  
*Δαύκειον, ῥίζας τε βρυωνίδος, ἢ καὶ Ἐφελίου. Nicand. Theriac.*

**Bunias**, buniadis, ut semen buniadis pen. corr.

*Quæq; Amiterninis defertur bunias arvis. Columell. l. X.*  
**Genitivus** buniadis sequitur genium stœchadis, Palladis, Asclepiadis,

Τοασόν

Πεντάμ. ἢ γλυκερῆς ἀπὲρματῶν βενιάδ. Pentam. An-  
dromach. apud Galen. l. de Theriaca ad Pisonem.

**Byzantina blatta**, *Byzantinus* syrupus, penult. prod.

*Byzantina sossos dedere regna.* Phal. *Sidonius in laud.*  
*Narbon.*

**Cadmia**, vel *Cadmea*, penult. longa est, quia *Dioscoridi* l. 5.  
c. 84. καδμεία, sicut *Thalia* penult. prod. quia Græcis Θα-  
λεία. Nomen sortitur à *Cadmo* Tyrio, primo flaturæ  
metallicæ inventore, si credimus *Vossio*. *Cadmæa* *Cir-*  
*ce Lucano* prod. penult. sic juvenus *Cadmæa Statio*, &  
*Thebæ Cadmææ Propertio*. *Vindicianus* tamen *vers. 31.*  
penult. in *cadmia* corripuit; sed quia præter morem ve-  
terum, non temere imitandus.

**Calabrina manna**, penult. prod. vide *Adject. in INUS ab*  
*anim. & propriis.*

**Calendula officinarum**, à *Calendis*, ex sententia *Lobellii*,  
dicta, penult. corr. ut *lavendula*, & cætera in ula, ut *as-*  
*sula*, *copula*, *crapula*, *fabula*, *matula*, *novacula*, *papu-*  
*la*, *rabula*, *regula*, *tegula*, *tabula*, *bucula*, *sportula*, *fi-*  
*cedula*, *monedula*, *nitedula*, &c.

**Camphora**, penult. corr. quia recentiores Græci, *Sim. Se-*  
*ibi*, *Aëtius*, *Myrepsus*, καμφοράν appellant. *Caphura*  
autem penult. prod. quia Græcis καφερά, & *Avicenna*  
*Kafûr.*

**Cannabis**, *cannabinus*, vide *Adject. in INUS ex inanimatis.*

**Cantharides**, penult. corr.

*Cantharidum succos*, dante parente, *bibas*. *Ovid. in Ibin.*  
Eodem modo in *Alexipharm. Nicander.*

**Capparitis**, *capparinus*, penult. corr.

*Capparin. & putri cepas alece natantes,*

*Et pulpam dubio de petasone voras.* *Mart. l. 3. ep. 77.*

E

Cap-

*Capparis, & tristes inula, ferulæq; minaces. Colum. l. 10.*  
Genit. *καππίρειος* est apud Galen. *l. de simpl. med. fac. c. 7.*  
de voce *capparinus* vide regul. *Adject. in INUS ex inanim.*

**Carabe**, pro succino, vox *Officinarum*; *Avicenna* *Kahreba*,  
vocabulo, ut ipse docet, *Persico*, quasi rapiens paleas;  
videntur & *Græci* sic appellasse, quod *καρηβαρίων Hippo-*  
*crati* sic dictam tollat, à *κάρα* caput, & *βαρύς* gravis. Nisi  
quis malit, *eis κάρα βήναι*, unde carabo pisci natales.  
Quia autem *εα* in *κάρα* ab *Jonica* in *Doricam* transit  
dialectum [*Hippocrati* enim *κάρη* est] ex regulâ *Gramm.*  
*εα* producenda videretur, nisi obstatet *Oppiani* & *Cointi*  
authoritas, quibus, nihil impediente etymologiâ *εα* in  
*κάραβος* [*nostris* *Krabbe*] corripitur:

*Κάραβος αϊκτής, μυρρινάτης πάλιν πιδέσε. Oppian. 2. ba-*  
*lieut. 254.*

*Ὁ γρηπύς καλάμοις κάραβον ἐκρέμασε. Coint. l. 6. epig.*

**Cardamomum**, pen. prod. quia *Dioscoridi*, & aliis *καρδά-*  
*μμων*, vide & *atomum*.

**Cardamine**, pro nasturtio pratensi, pen. producit; vide  
*alsine*. Natales ejus à *κάρδαμον*, s. nasturtium, cujus penult.  
corripit in *Tberiacis Nicander*.

**Calamita styrax**, vel *καλαμίτης*, penult. prod. Vide *aeti-*  
*tes*, *abrotonites*.

**Carica**, pen. corr:

*Hic nux, hic mista est rugosis carica palmis. Ovid. Met. 8.*  
*Quid vult palma sibi, rugosâq; carica, dixi. Ov. 1. Fast.*

**Carlina**, pro *chamæleonte* plantâ, *Officinis dicitur*; pen.  
prod. quia contractum est à *Carolina*; sic appellata,  
quod existimetur *Carolo Magno* à genio monstrata  
quondam fuisse, in solatium exercitus pestilentiam pane  
enecti.

Car-

**Carthamum**, pro cunico hirsutiore, vox ab *Avicennâ* mutuata, cui *Kharttam* appellatur; *Avicenna* forsân [ ut alia plura ] à Græcorum *καρτέσιον* deduxit, pen. corripit, ut cinnamum, balsamum.

**Caryocostinum electuarium**, pen. corr. *Vid. adject. in INUS ab inanimatis.*

**Casia**, aroma, pen. corr.

*Quò simul & casias, & nardi lenis aristas. Ovid. Met. 15.*

*Dum myrrham, & casiam flebilis uxor emit. Martial.*

*l. 10. ep. 97.*

Quidam duplicato  $\sigma$  cassiam appellant; sed *Galenus*, *Helychius*, & alii, *κασίαν* legunt. De voce ipsâ videatur *Vossii Etymol.*

**Castanea**, pen. corr.

*Castaneæ molles, & pressi copia lactis. Virg. Ecl. 1.*

**Castor**, oris, castoreum, pen. corripit utrumq;

*India mittis ebur, molles sua thura Sabæ,*

*At Chalybes nudi ferrum, virosaq; Pontus*

*Castorea, Eliadum palmas Epeiros equarum. Virg. Georg. 1.*

*Castoreas siliquas bis sex perquirere cura. Seren. tit. par. dep.*

*Ἐς ποτὴν, ἢ πέναντις, ἢ κάσπερ ἐλὸν ὄρχιν. Nicand. in Theriac.*

Neq; aliter exprimitur Deorum fratrum solenne nomen:

*Non ego si medius Polluce, & Castore ponar. Ovid. 2. Art.*

**Cataputia**, pen. corr. ob vocalem ante vocalem, ut colocasia. Vulgò ricinus hic, cataputia dicitur, quòd ἐν καμπύλιω λαμβανόμενα grana ejus alacriter purgent. De qua granorum vi purgatrice *Dioscorides* consulendus, *l. 4 cap. 164.*

**Cauterium**, pen. corr.

*Feruida non timidis tolera cauteria plantis, Ser. tit. podag. dep.*

**Centaurium**, *κενταύριον* Theophrasto l. 3. cap. 5. & Dioscoridi l. 3. cap. 8. & 9. pen. prod. cum ex Vosio, aliisque constet *κενταύριος*, & *κενταύρεα* & *κενταύριον* promiscue scribi; unde Plinio *centauræa*, *centauréum*, *centauréon*. Poëtæ autem constanter penult. in *centauréon*, & *centaurion* producant.

*Et panacea potens, & Thessala centauræa. Lucan. l. 9.*

*Cecropiumq; thymum, & graveolentia centauræa. Virg.*

*Georg. l. 4.*

*Abrotoniq; graves & tristia centauræa, Lucret. l. 4.*

*Ἰατρὸς δ' ὄπ' ἔστι πάντας συμμίστρος κενταύριον. Andromachus apud Galenum libro de Theriaca ad Pisonem.*

**Cerasum**, pen. corr.

*Aut cerasi victum longo jam tempore pomum. Seren. tit. Solut. ventr.*

**Ceratum santalinum**, pen. prod. quia à cera, *cerarum*, *incerare*;

*Propter quas fas est genua incerare Deorum. Juven. Sat. 10. Sic mel rosatum, &c.*

**Ceterach officinis, & Arabibus**, pen. corr. vox ut videtur corrupta à *πτερυγα* p in c mutato. Sic ex *pteryga* fiet *ceteryga*, & corruptius *ceterach*, ut jam ante monuit *Stapelius*.

**Chalcitis**, penult. prod. quia Græcis *χαλκίτις*.

*Cadmia, chalciti, chalcantibo, chalco, & adusto. Vindician. vers. 31.*

*Μαλακάθρον καλὰ φύλλα, καὶ ὄπ' ἀλέω χαλκίτιν. Andromachus apud Galenum de Theriaca ad Pisonem. Genitivi penultima corripitur, sive sit *χαλκίτις*, ut exprimit *Galenus*; sive *chalcitidis* quomodo format *Plinius*. Ita enim *Memphitidis* penult. corripit *Juvenalis*; *oceanitidis**



dis Virgilio; Marcotidis Lucano; Staphidis Nicandro; & Memphitis, oceanitis, mareotis, Staphis.

Chamædrys, yos, Genitivi penult. corr. quia descendit à δρυς, δρυός, quercus.

Ἡ δρυός, ἢ πύκνης, τὸ μὲν ἐκαστοπόθηται ὄμω. Hom. ψ. 328.

Fortè simul Faunig, pedem, Dryadesg, puella. Virg. Georg. 1.

Chamæmelum, penult. prod. quia Dioscoridi χαμαιμηλον l. 3. c. 154. Διὰ τὴν πρὸς τὰ μήλα ὁμοιότητα; Tralliano itidem χαμαιμηλον l. 8. c. 2. Unde & Martialis l. 7. epigr. 24. melimelum.

Infanti melimela dato, fatuasg, mariscas.

Perperam alii, decipiente Macro, camomillam appellant.

Chamæpitys, penult. brevis est, quia à χαμαὶ & πίτυς; Dioscoridi l. 3. c. 175. 176. χαμαιπίτυς.

Ἡ πίτυς βλωθρή, τὴν τ' ἄρεσι τέκτονες αἰδρες

Ἐξέταμον πελέκεσι, id est, vel pinus alta, quam in montibus opifices amputavere securibus. Il. v. 390. Il.

π. 483.

Μακροῖσιν τι πίτυσιν, ἰδίῃ δρυσὶν ὑψιπέμοισιν. Hom. Od. 1. 185.

Genitivi chamæpityos penult, corripit ut derivata inde ptycia ostendit:

καὶ πτύειαν ἔχον, καὶ Τηρείης ἄρ' αἰπὺ. Hom. Il. β. 336.

Unde convenienter Honterus 4. Cosm. 171.

Artemidisg, chamæpityosg, atq, achrados herba.

Πᾶσα χαμαιπίτυς, τὸ τ' ὄνιδ' αἰὼν ὀρέης. Nicand. in Alexiph.

Ἡ δὲ χαμαιπίτυς, καὶ φύλλα μαλαβάθροιο. Poëta apud Galen. l. 1. de Antid.

Chebulæ myrobalani, penult. prod. quia Actuario Græco μυροβάλανα κεβυλά.

Cheirinum oleum, pen. brevis est. Vide Amaracinus sequ.

E 3

Cheli-

Chelidonium, penult. corr. *Dioscoridi l. 2. cap. 211. & 212.*  
χελιδόνιον.

*Purpurea& chelidonia, pingves& marisca. Colum. l. 10.*  
*Sape chelidoniae rapidum sociatur acetum. Serenus tit.*  
aur. vit.

Eodem modo novies vocem hanc metitur *Serenus*,  
bis *Macer*, semel *Honterus*, semel *Pisidas*, semel *Nicander*.

*Cicer*, eris, penult. corripit:

*Nec si quid fracti ciceris probat, & nucis emptor. Hor.*  
in Art. Poët.

*Cichorium*, *Theophrasto l. 7. c. 7. κικώριον. Dioscoridi l.*  
*2. c. 160. κικώριον. Galeno l. 8. simpl. κικώριον. Vox Aegy-*  
*ptia auctore Plinio l. 20. c. 8. Honterus superiores intui-*  
*tus Auctores penult. corripuit. Oportet tamen Hora-*  
*tium alicubi invenisse κικώριον, quando antepenult. cor-*  
*ripiat, penult. verò producat. Et certè Nicander in A-*  
*lexipharm. o corripit:*

κίχουρα δαρδαμίδας τε, καὶ ἦν περσέων ἔκτισον.

*Me cichorea, levesq. malve. Alcaic. Hor. Carm. l. 1. Od. 31.*

Quid igitur superest, nisi ut cum *Hontero* penult. in *ci-*  
*chorium* corripiamus, cum *Horatio* autem penultimam  
in *cichoreum* longam pronunciemus?

*Ciconia* pingvedo, penult. corr.

*Tutus erat rhombus, tutoq; ciconia nido. Hor. 2. Sat. 2.*

*Cicuta*, ut emplastrum de *cicutâ*, penult. prod.

*Hac te nos fragili donabimus ante cicutâ. Virg. Ecl. 5.*

*Cinara*, penult. corr.

*Hispida ponatur cinara, & quæ dulcis Iaccho. Colum. l. 10.*

*Cinnabari*, & *cinnabaris* nativa, factitia; vox Indica est  
docente *Plinio l. 33. c. 7. cujus penult. corripit Scaliger*,  
*Man. Catull. 27.*

Plums-

*Plumbo, cinnabariq̄, sulphuriq̄. Phalæc.*

Nec injuriâ, ut analogia svadet in Phalaris, Bassaris, magudaris, piperis, &c. Genitiv. cinnabareos penult, corr. qvia κινναβάρεως Galeno de simpl. med. fac. l. 8.

Cinnamomum, Dioscoridi, & aliis κιννάμωμον. penult, prod. vide & *amomum*.

Citrinum succinum, arsenicum, sulphur, citrina stœchas, citrinæ myrobalani. pen. corr. vide *Amaracinus, sequo*.

Claretum vinum, pen. prod. Vox barbara, à clareo, es, clarere, deducta.:

*Non potuit nobis notâ clarere figurâ. Cic. in Arat.*

Clyster, eris, pen. prod. qvia Græcis κλυστή, ἦες. Ita apud Galenum legimus: πολὺ ἐν τῷ τοῖστῳ κλυστῆι κείτω. Α κλύζα abluo, eluo.

Πολλὰκι δ' ἐν κλυστῆι νεόν γλάγος οἶος ἀμείλχας Nicand, *Alexipharm.*

Cochlea, pen. corr.

*Curvarum domus uda coelearum. Phalæc. Stat. 4. Sys. 9. Dictamnnum bibit, & cochlaa manduntur edules. Seren. tit. concept.*

Colcothar, vox Arabica, penult. prod. ob positionem, qvia Avicenna vocatur kolkhotthar, ejus prima initia haud dubiè à Græcorum chalcitis, profluxère.

Colocynthis, idis, pen. genitivi corripitur.

*Aquora jussisti succo colocynthida amaro. Mant. 6. Fast.*

Colophonia, pen. corr.

*Quæ Colophoniaci Scyllæ dicuntur Homero. Virg. in Cir. — — — — — nec origine gentis*

*Clara, sed anse fuit pater huic Colophonius idmon. Ovid. Metam. 6.*

*Coral-*

idâ

Corallina herba, *costinum* oleum, *crystallinum* arsenicum, penult. corr. vide *amaracinum*, seqv.

Corurnicis pingvedo, penult. prod.

*Et capris adipēs, & coturnicibus auget. Lucret. l. 4.*

Cubeba, Indis cubab, *Avicenna* Kebâba, penult. corrip. quia *Aetuario*, & aliis Græcis recentioribus appellatur *κάρτερ, κάρτερ, κέρβεβα, & κέρβεβα.*

Cuculus ustus *Rondeletio* laudatus, pen. prod.

*Cessisset magnâ compellans voce cuculum. Hor. l. Sat. 7.*

Ita *Plautus* & in *Pseudolo*, & *Asinariâ* penult. prod. & opportunè quidem hoc accentu pronunciationem volucris importunè imitatur. Eadem sententia est *Becmanni*, *Torrentini*, *Parai*, aliorumq; eruditissimorum hominum, ut necesse sit & *Bacchananum* penult. corripientem sibi excidisse, & adulterinum illum *Martiali* attributum peccare versiculum:

*Quamvis per plures cuculus cantaverit annos,*

*& spurium illum Ovidio in Philom. attributum:*

*Et cuculi cuculant, fritinnit rauca cicada.*

Cucumis, & cucurbita penult. corrip.

*Cæruleus cucumis, tumidog, cucurbita ventre. Prop. l. 4. c. 2.*

Cucumeris pen. corr. ut piperis, ciceris, vomeris.

Cuminum, quibusdam, *cuminum*, pen. prod.

*Rugosum piper, & pallentis granâ cumini. Pers. Sat. 5.*

*Pallerem casu, biberent exsangve cuminum. Hor. ep. l. 1. 19.*

*Nixes ου δὲ κύμωνα χεία, βλαστὴ τὸ κοινόν. Nicand. Theriac.*

Cuniculi pingvedo, penult. corr.

*Gaudet in effossis habitare cuniculus antris Mart. 13. 60.*

Curcuma, pro cypero *Indicâ*, vox recentior *Officinarum*, nomen ei ab inæqualitate radice, lupatis eqvorum simili, quæ olim, hodieq; nodis ferreis olivarum instar sibi

sibi coherentibus distinguntur, κέρκιμα nuncupatis,  
ut probè in *Theophrasto suo* observavit *Bodeus à Stapel*, &  
ante eum *Pollux l. 1. c. 2.* Unde *Hesychio*: ἐν κημῶν, ἐν κερ-  
κίμῳ, & *Arbin. c. 271.* Ἐὶ δ' αἰεὶ δεσμῶν σιδηρῶν, ἢ κερ-  
κίμων. &c. Penult. ergo producit, quia est à Græco  
κέρκιμον.

Cuscuta, vox *Officinarum*, Græcis recentioribus κασούθα,  
quæ καδύτας *Theophrasti 2. de caus. 3.* existimatur, & ca-  
dytas *Plinii l. 16. c. 44.* Kusjouths *Avicenna* vocatur,  
haud dubiè à κασούθα Græcorum. Quia ergo cuscuta  
levi detorsione à Kusjouths, & κασούθα nascitur, &  
κασούθα penult. producit, sequitur idem cuscutæ fatum  
esse. Opportunè verò κασούθα appellatur à κασύω,  
consuo, quòd velut filis intorris plantarum aliarum fo-  
lia consuat, jungatq̄ve. De quantitate ita Poëta:

— — — — — εἰς  
Πέλμασιν οἷσι πέδιλα περιμβόλα κασούθῃσι. *Nicander a-*  
*puḍ Athen. l. 9.*

Cyani flores, à colore cyaneo sic dicti, penult. corr.

Κυάνεοι δὲ δράκοντες ὄρωρέχατο πρὸ δειρῶ. id est, cærulei  
autem serpentes protensi erant circa collum. *Hom. ll. 7.*  
*Transseat instabiles strenua Cyaneas. Ovid. 1. Trist.*

Cyclaminus, κυκλάμινος, *Dioscoridi l. 2. c. 194.* & *Theo-*  
*phrasto l. 9. c. 10.* & *Galeno de simpl. pharm. fac. c. ζ.* cy-  
claminus *Plinio l. 25. 9.* & *l. 21. v. 9.* cyclaminum, i:  
vulgò cyclamen, inis, planta sic dicta ab orbe tum fo-  
lii, tum radice; *Cyclamen* autem penult. corripit, & cy-  
claminus penult. producit, de utroq̄ve securos nos esse  
jubet Poëta *apud Athen. l. 15.*

Καὶ γερῶν πάγων, καὶ ἐντραπίας κυκλαμίνῃ. id est, ut  
nec senilem barbam, nec speciosum cyclaminum.

F

Ἰσπε-

Ἰσπικίαν λειχάναν, καὶ ἐν κυκλάμινον ἀγείρας. *Nicand. in Theriacis.*

*Nicander hic Colophonius est, scriptor antiquissimus, Attalo Regi tempore æqualis; quem studiosissimè & legit Dioscorides, & in venenorum historia, atque curatione imitatus est.*

Cydoniam, penult. corr.

Quæq; suos curvant matura cydonia ramos,  
Cornaq; adhuc nostris non satis apta cibis. *Ovid. 3. de Art.*

Si tibi Cecropio saturata cydonia melle  
Ponantur, dices hec melimela licet. *Martial. l. 13. epigr. 24.*

Cynosbatus, penult. corr.

χειρίδας τ' Ἰππὶ χερσὶ, βάτων δ' ἐκ' αὐτῶν ὕπερθε.  
id est, *chirothecas manibus (gestabant) ruborum gratiâ, at desuper.*

Cyperus radix, *Dioscoridi l. 1. c. 4. κύπερος*, eodem modo scribitur *Theophrasto, Theocrito, Hesychio; Varroni cyperum, i; Galeno tamen de simpl. pharmac. facultat. l. 7. κυπέρον*, sed haud dubiè tacitè ibi diphthongus intelligitur; quid si fefellerint librarii? Quicquid sit, tutius penult. produceretur tot antiquis scriptoribus sustentato. Hinc *Vindicianus v. 59.*

*Cyperum, ladanum, sagapenumq; & tragacanthum.*  
*Acceptæ Veneri bacca, bicolorq; cyperus. Sam. 3. Ped.*  
*Ἡ ἐ Φιλοζώοιο κυπέροιο, ἢ ἐ κυπέρου. Nicand. Alexiphar.*  
Cur autem alibi *Vindicianus* cum *Hontero* penult. corripuerit, viderit ipse.

Cypheos trochisci, penult. corrip. quia *Galeno lib. 2. de Antid. per e* scribuntur:

Ἐπεὶ δ' ἐν κύφῳ ἐμνημόνευσεν ὁ *Δαμκερότης* &c.

Cypri-

Cyprinus lapis, penult. producit Oppiano. Vide & Ad-  
jectiva in INUS ab animatis derivata.

Dactylus fructus, à similitudine digiti sic dictus, penult.  
corripit, ut

Dactylicos, elegos, cboriambum carmen, epodos. Anson.  
ep. 10.

Diacarthamum, penult. corr. Vide Carthamum.

Sunt qui existiment compositiones pharmaceuticas  
à Dia incipientes Arabibus deberi, sed falluntur; Gale-  
nus enim de compos. Medic. secund. gen. frequenter ita  
loquitur: ἡ Διὰ διπύμνη; ἡ Διὰ θυοῖν ἀριστοχοῖν; ἡ δι'  
ἄσφάλτη; τροχίλοι Διὰ τῶν ἀλικανέων; ὁ Δι' τῶν χυλῶν;  
idem de compos. medic. secund. loca, sæpe ingeminat,  
Διάρροδον ὠρεῖον, Διάρροδον τὸ μέγα, &c.

Diacaryon, penult. corr. à καρύα, nuce.

Plaudentiq; habiles caryæ resonare Diana: Stat. 4. Thebaid.

Hoc linitur spūto jani caryota Calendis. Mart. l. 8. ep. 33.

Diacatholicon Electuarium, penult. corr. καθολικὸς e-  
nim sese habet, ut Φυσικὸς, κριτικὸς, φθισικὸς. Format  
autem diacatholicon genitivum diacatholici, non dia-  
catholiconis, ut perperam Officina.

Diachylon emplastrum, penult. prod. quia à χυλὸς suc-  
cus, scilicet emplastrum est ex succis expressis paratum:

— — ἀμελγόμεν. ὁ δὲ διὰ χυλὸν  
τύμμασιν ἡμίθετ' ἐμβάλλοις διατόματι δαιπὲς. id est,

— — appresso cūna succum mulseris ore

Retrimenta adhibe plagæ semesa recenti. Nicand. Ther.

Ἄψα δ' ἐφ' ἀαλέοισι χεῖρας διατηρεῖα χυλὸν. Nicand.

Tberiac.

μέμψεν δ' ἔψυχῃ χυλὸν ὑσκούαυα. Pentam. *Androm.*  
apud *Galenum libr. de Theriac. ad Pisonem.*

*Præterea chylum stomacho desiccatur iniquum. Seren. tit. subit. dol.* ubi tamen quidam legunt chymum, sed perperam, quia chylus in stomacho, chymus in vasis aliis.

*Diacodium*, penult. corr. *Dioscoridi l. 4. c. 64. 65.* & *Theophrasto l. 4. c. 10.* κωδία, ας, ἡ, designat caput papaveris. Corripit autem penult. ut ἰσθηρία, καρδία, ἀγία, ψάλλωγία, σωτηρία. Quòd si desinentia in ἰα quandoqve producuntur *Homero*, & aliis, purandum id fieri, jam ex necessitate metri, ut in ἀπμία, ποθυμία, &c. eoque in illis tacitè concipiendam diphthongum, quod *Eustatbius* monuit; jam in soluta oratione vel expressè adfuisse, vel clarè intelligi diphthongum, ut in *Thalia*, θαλία, in *Dius*, Δια, θεῖα, θεία, &c. Poëticum ergo esto illud.

— ὁ δὲ φῆ κώδειαν ἀνασχών. *Homer. Il. ξ.* id est, hoc dixit caput attollens; caput scilicet *Ilionis* à *cervice avulsam papaveris capiti æquiparat*, quod *Tarquinio Romano* etiam olim placuit.

*Diacorum*, penult. corr. vide *acorus*. Item  
*Andrachnenῆς, acorumῆς, opopanaca, pompholygemῆς.*  
*Vindician.*

Sed *pa* in *opopanaca* improvidè produxit.

*Diacydonites*, penult. prod. vide *abrotonites* sequ.

*Diagridium*, vide *Scammonium*.

*Dialithontribon*, penult. prod. quia à τριβῶ descendit:  
μηκέτ' ἐρείθεσθον, μηδὲ τριβέσθε κακῆϊσι. id est, ne amplius  
incumbite, neq; conterimini malis. *Homer. Il. ψ.*

τριβῶ



Τελείουσαι καὶ λευκὰ εὐτεροχάλα ἐν αἰλῶνι. id est, ad te-  
rendum bordeum album in rotunda areâ. Hom. Il. v.

At τρίβων semita, exercitium, aliter se habet:

Τὴν τρίβων, ἀρεκέως γὰρ ἄρα τρία πάντα πῆρεςιν. id est,  
quod exercitium, verè enim simul tria adsunt. Hom. hymn.  
in Mercur. Lithontribon ergo penult. prod. quia est præ-  
sentis temporis; sed παδοτρίβα, διατρίβα, quia sunt ab  
aoristo secundo, quemadmodum & τρίβων, penult. cor-  
ripiunt; id quod & Labbéus in Analect. Profod. & Ibe-  
saur. Prof. eruditè jam ante ostendit.

Diamargariton frigidum, penult. prod.

Inter candida margarita quæro, Phal. Mæcen. de mort.  
Horat.

Eodem modo Petronius Arbiter, & Prudentius, & Ara-  
tor penult. produxere.

Καὶ μαργαρίτας λευκοδέρμας προσφίξει. Pisidas de van. vit.

Diamoron, penult. prod.

Cornag, & in duris barentia mora rubetis. Ovid. Met. 1.  
Sanguineis frontem moris, & tempora pingit. Virg. Ecl. 6.

Diaolibanum, penult. corr. vide olibanum.

Diaphœnicon Electuarium, genit. diaphœnici, non dia-  
phœniconis [Φοινικῶν, ὄνος, palmetum est.] penult. prod.  
à Φοινίξ, Φοινίξος, ὄ, palma, arbor, & fructus; dicitur  
quasi Φοινίξ à sanguineo quarundam palmarum colore,  
ut ex Phavorino constat. Quin & Φοινίξ Hesychio colo-  
rem fructus palmarum denotat. Cæterùm Φοινίξ pen-  
ult. genitivi producit, ut constat non tantùm ex phœ-  
nice ave, quam ex hujus palmæ argumento nomen  
traxisse scribit Plin. l. 13. c. 4. sed præcipuè ex ave phœ-  
nicoptero, cui nomen à Φοινικῶν πτερῶν, id est, ab alis

rubentibus phœnici arbori, ejusvè fructui colore simili-  
libus, unde de phœnicoptero *Martialis l. 13. epigr. 71.*

*Dat mihi penna rubens nomen* — —

De utroque ita Poëta:

*Corpore de patrio parvum phœnica renasci. Ovid. Met. 15.*

*Et Scythica volucres, & phœnicopterus ingens. Juve-  
nal. Sat. 11.*

De Phœnicibus populis hîc nihil, qvanqvam & illis  
ni producat, ut ex *Lucano*, & *Virgilio* palam est.

Sed cur *Ovidius* ter ni corripuit?

*Phœniceas vestes, elusaq; vulnera sentit. Ovid. Met. 12.*

*Phœniceam fulvo cblamydem contractus ab auro. Ovid.  
Metam. 14.*

*Sagavè Phœniceâ defixit nomina cerâ. Ovid. Amor. 1.  
3. el. 7.*

Legendum omnibus his locis *pœniceus*, unde post pu-  
niceus, sicut eruditè ostendit *Nic. Heinsius in Ovid. Me-  
tamorph.* Nimirum pœniceus, seu puniceus color initiò  
à Pœnis populis inventus est, ut *Varroni* credimus, &  
ab iis haud dubiè ad Tyrios translatus, qvos Pœnerum  
fatores fuisse ex *Curtio* admonemur.

Diaprunum, penult. prod.

*Pruna peregrina carie rugosa senecta. Mart. l. 13. ep. 29.*

Diarrhodon Abbatis, penult. corr. quia est à *ῥόδον* rosa,  
sic & *cynorrhodon*:

*Ἄουτ' ἂν ἐκ σκιάδης ῥόδα φέτωι, ἐστ' ὑάκινθ' ὄν:* *Theogn.*

Diarrhodon Genitivum non format in onis ut perpe-  
ram Officinæ, sed in i, diarrhodi, *Ἀσπύδα καλύεια* *Galeno*, & *cynorrhodon*, i, *Plinio*; cæterum *oxyrhodinum*  
*Galeno* adjectivum est, penult. corr. ut ex *adject.* ina-  
nim. in *INUS perspicuum*.

Dia-

**Diasatyrium**, i, vide *satyrium*.

**Diascordium** Fracastorii, pen. producit. Vide *Scordium*.

**Diasena** Nicolai, penult. producit; sena planta antiquis Græcis, Latinisque incognita, *Serapioni*, *Aetuario*, & *Mesue* laudata; quam quia *Mesues* sennam appellat, de quantitate ejus nos non permittit dubitare.

**Diasereos** syrupus, penult. corr. quia *Galeno* l. 8. de *simpl. med. fac.* *σέρεις*, *σέρεως*.

**Diateffaron** theriaca, penult. corr.

*Non mea magnanimo depugnat tessera talo.* *Martial.* l. 13. epigr. 1.

*Τέσσαρα Φωκίων ἐκ πάντων δέρματ' ἔνεικε.* *Homer. Odysso.* δ. v. 436.

**Doronicum**, vox ab Arabibus petita, quibus *doronigis* vel *dorungi* appellatur. Nos penult. corripiemus, ut *fontonicum*, *lingonicum*, *betonica*.

**Ebeni** oleum *Paracelsi* laudatum, penult. corr.

*Fert ebenum, solis est thurea virga Sabæis.* *Virg. Georg.* 2.

**Ebulus**, ebulum, penult. corr.

*Sanguineis ebuli baccis, minioq; rubentem.* *Virg. Ecl.* 10.

*Hic ebulum stridet, peregrinaq; galbana sudant.* *Lucanus* l. 9.

**Elaterium**, penult. corr. quia *Hippocrati*, *Dioscoridi*, *Galeno*, *Polluci*, *ἐλατήριον* scribitur sine diphthongo.

**Electuarium**, vox *Officinarum*, & *Mesue*; *Nic. Myrepsos* *λαττάριον*, *Papia* à lacte dicitur; *Weckero* ab electione, quod ex electis aromatis constet. *Commodius* ab *ἐλεικτιον*, vel *ἐλεικτιον*, id est, pharmacum quod lingendo absumitur, ab *ἐκλέιχεν* vel *ἐλέιχεν*, unde ecligma Au-

tho-

thoribus frequens. Penult. corr. ob vocalem ante vo-  
calem sine suspicione diphthongi.

**Elixir**, Arabibus Elechschir, & Elixschir, id est, pura sine  
facibus massa, sive essentia; à radice káschara, si *Lan-  
gio* credimus, id est, contudit, pellem detraxit, desqua-  
mavit. Sed nos de genitivi pronunciatione solliciti  
notamus ex *Lexic. Arab. Golii*, Arabibus hodie Elixir  
appellari Alichsiro, accentu penultimaë impresso, [à  
radice *cásara*, confregit] ideoqve deficientibus *Latine*-  
gibus, cum Arabibus *Elixiris*, penult. longá dicemus.

**Elleborus** penult. corripit, quia *Dioscoridi*, & *Galeno* ἐλλέ-  
βορος. Præterea:

*Expulit elleboro morbum, bilemq; meraco. Hor. l. 2. ep. 2.*

*Scillamq; elleborosq; graves, nigrumq; bitumen. Virgil.*

*3. Georg.*

**Emblicæ** [sive ἐμπελική] myrobalani, penult. corrip.  
ut cætera in ieus, aromaticus, emphaticus, phlegma-  
ticus, pragmaticus, criticus, &c.

**Endivia**, pro seri sativâ, *recentiorum scriptorum* vox, pen-  
ult. corripit, ob vocalem ante vocalem.

**Enula**, seu *inula* campana, penult. corripit:

*Capparis, & tristes inula, ferulaq; minaces. Colum. l. 10.*

*Erucas virides, inulas ego primus amaras. Horat. l. 2.*

*Sat. 8.*

**Epithema**, penult. quidem communiter corripit, quia  
*Dioscoridi*, *Galeno*, & aliis Ἐπίθημα; Poætæ tamen qui-  
dam permisere sibi Ἐπίθημα, ut

Ἦ, καὶ Φωλαμῶν Ἐπίθηματα καλ' αἰέωγρ. *Homer. Il. ω.*

id est,

*Dixit & scriniorum opercula pulcra aperuit.*

Epi-

Epithymum, *Plinio* quoque laudatum, *l. 26. c. 8 penult.*  
corr. ab *Ἰθῆ* & thymo:

*Ipsē thymum, pinosq; ferens de montibus altis. Virgil.*  
4. *Georg.*

*Pascua, per flores, & thyma summa volant. Ovid. 1. Art.*

Equisetum, penult. producit, sic dictum *Plinio*, quod pilos habeat equinae setae similes.

*Cynphii tondent hirci, setasq; comantes. Virg. Georg. 3.*

Erinaceus ustus, penult. corr. ob vocalem ante vocalem.

Errhina medicamenta, penult. produc. quia à ῥῖν ῥῖ-  
νός, ἢ nasus.

*Ἀμβροσίω ῥῖνῳ ἐκάσῳ ἦκε Φέρρασι. Hom. Odysf. δ.*  
id est,

*Ambrosiam affrens unicuiq; ad nares posuit.*

Hinc & illud *Martialis l. 1. ep. 4.*

*Et pueri nasum rhinocerotis habent.*

Eruca herba, penult. producit:

*Nec minus erucas aptum est vitare salaces. Ovid. 2. Rem.*

*Spes superest, tu tantum erucis imprime dentem. Juvenal. Sat. 9.*

Eryngion, penult. corr.

*Asphodelus, smilax, eryngion, enneaphyllon. Honter. l. 4.*

Esula, vel Ezula, penult. producit, quia non tantum in

Lexico veteri legitur: Ἐζυλα τὸ ὄξύπερον, id est, *tithymalli species*; sed *Myreps. Antidot. 30. & 180.* Ἐζυλα ἢ χα-

μαίπιτος. *Bodeus à Stapel in Theophrast. ita: Esula nomen*

*à πτυσῶσι luxatum videtur, duabus enim syllabis sublatis, re-*

*manet ἕσο, cujus diminutivum usula, & vocali primâ mu-*

*ratâ esula. Idem creditum Casparo Baubino in Pinace.*

*Nec alia visus existimasse Honterus, cum l. 9. scriberet.*

*Esula cum betis, solanum, strychnus, oryza.*

G

At

At verò huic opinioni & ζ præsens repugnat, & quan-  
titas *us* in usula, quæ brevis futura esset, si fuisset di-  
minutivum, ut videmus in pustula, pusula, item in u-  
stulo ab uro, sic in regula, bucula, sportula, Albula, &c.  
cùm hic in *Lexico veteri*, & *Myreps*o evidenter producat,ur,  
Eupatorium, *Dioscoridi*, l. 4. c. 41. *Επατώριον*. *Galeno* l. 6.  
*simpl. Επατώριον*, penult. corr. quia vocalis est ante vo-  
calem sine ullâ diphthongi suspitione.

Euphrasia, vel *eupbragia*, recentiorum vox, crediturque  
antiquorum fuisse *euphrosyne*; penult. corripit, ex re-  
gulâ *Gramm. generali*, ut *colocasia*, *athanasia*, *armo-  
racia*, *acacia*, &c.

Euphorbium, *Dioscoridi* l. 3. c. 46. *Εφωβιον*, penult. cor-  
ripit, quia vocalis adest ante vocalem, sine ullâ diph-  
thongi suspitione: hinc:

*Conveniunt acidis euphorbia mista fluentis. Seren. tit.  
letbarg. expell.*

Filicis radix, penult. corripit:

*Et filicem curvis invisam pascit aratris. Virg. 2. Georg.*

Filipendula, penult. corr. quia à filis radicum pendulis eï  
nomen,

*Lassaret viduas pendula tela manus. Ovid. ep. 1. Heroid.*

Fœniculum, penult. corripit:

*Aut tu fœniculum, nitrumque, & sulphura viva. Seren.  
tit. porr. depell.*

*Nec non fœniculo calidum annectatur acetum. Seren. tit.  
ict. scorp.*

Fragaria, penult. corripit, ob vocalem ante vocalem in  
*Latinis vocibus*.

Frangula, pro alno nigrâ bacciferâ, penult. corr. quia  
diminutivum est à frango, quippe materies ligni hujus  
facil-

facillimè frangitur; sic se habet ut cætera diminutiva,  
schedula, assula, sportula, tesserula, &c.

**Fraxinus**, penult. corripit:

*Et coryli fragiles, & fraxinus utilis armis. Ovid. Met. 10.*

**Fuligo**, penult. producit:

*Semper & assidua postes fuligine nigri. Virg. Ecl. 7.*

**Galbanum**, *Dioscoridi*, & *Galeno* χαλβάνη; penult. corripit apud *Nicandrum* in theriacis: Item,

*Hic jam galbaneos suadebo incendere odores. Virg. 4. Georg.*

*Hic ebulum stridet, peregrinaq; galbana sudant. Lucan. l. 9.*  
*Galbaneti* vocem quidam frequentant, rectiùs facturi si *galbanatum* dicerent:

*Jacet occupato galbanatus in lecto. Jamb. Sen. Martial. l. 3. ep. 82.*

**Galega**, vox recentiorum, incertæ originis; dicta tamen videri potest, quasi γάλα ἡγών, id est, lac promovens, atque ita penultimam producet.

**Gallitrichum**, rectiùs *callitrichum*, penult. corr. quia ἄ

ἔχει διαρχόμενον, κεφαλῆς τείχος ἐν πύρι βάλλω.

*Hom. Od. γ.*

Inconvenienter *Officina* gallitrichon appellant, cum nomen inde inveniatur, quod κάλλος faciat τείχων; quemadmodum nucis juglandis putamen *Dioscoridi* l. 1. c. 141. καλλιτείχον ἐστίν, id est, capillis pulchritudinem, & robur inducit. Accedit quod planta hæc non *Apulejo* tantum, sed & *Plinio* callitrichon vocetur, l. 22. c. 21. quidam, inquit, callitrichon vocant, alii polytrichon, utrumq; ab effectu, tingit enim capillum &c. Inconvenientiùs, cum jubentur callitrichum capere *Officina*, capiunt *horminum*,

nam callitrichum ex adianthorum genere esse fidem  
facit *Plinius l. 22. c. 21.*

**Gelatina**, vox *Officinarum*, non item *Latii*; penult. prod.  
ut medicina, lapiçadina, doctrina, fodina, & cætera  
substantiva à verbis oriunda.

**Gentiana**, ab inventore Gentio Illyriorum Rege, ut tra-  
dit *Dioscorides l. 3. c. 3* & *Plin. l. 25. c. 7.* Græcis γενναίη,  
penult. prod. ut à Rhenus, Rhenanus, à Roma, Roma-  
nus, à Thebis, Thebanus, à primus, primanus, à pa-  
gus, paganus, &c.

**Geranium**, *Plinio l. 26. c. 11.* geranion, *Dioscoridi l. 3. c. 131.*  
γενήμιον, penult. corr. ob vocalem ante vocalem. Γεγά-  
νισιον autem ὄδιον apud *Athenæum*, & *Eustathium* perperam  
legitur, pro γενήμιον, quod jam ante vidit *Dalechampius*.

**Granatus** gemma, & granatum malum *Officinis*, penult.  
producit. Et quidem granato malo nomen est à grano-  
rum rubentium, & succulentorum, quæ gremio com-  
plectitur, multitudine; granato gemmæ, à colore & ma-  
gnitudine granis Punici hujus mali plerumque simili-  
mâ. Vox *Plinii l. 13. c. 19.* Sed circa *Cartaginem Puni-  
cum malum sibi vindicat: aliqui granatum appellant.* *Colu-  
mell. l. 12. c. 41.* Integra, inquit, mala dulcia granata, quæ  
*Punica vocantur.* Ut appareat, natales ejus non prodi-  
isse à Regione Hispaniæ Granatâ, sed potius Granatam,  
vel à malis granatis, vel granis tinctorum, copiosè istic  
locorum nascentibus nomen meruisse. Penult. producit,  
quasi esset à grano, granavi, granatus, ut ab amo, ama-  
tus. Hinc de granario, & Granatâ Hispaniæ ita *Poëtæ:*

*Cum tua plus laudes cumeris granaria nostris.* *Horat. 1.*

*Serm. sat. 1.*

*Vellera te cocco dives Granata rubenti.* *Mant. 3. Alf.*

Gra-



Gratiola, planta veteribus forsan incognita; *Officina* gratiolam vocavere, quasi *parvam Dei Gratiam*, propter singulares virtutes, *ἀνω & κάτω* purgandi. Penult. corripit, ut cætera in diminutiva, laureola, areola, bracteola.

Guajacum, *Indis* Gvaacan, & Gvajacan, quomodo autem iisdem pronuncietur, non admodum liquet. Quia tamen Latinâ terminatione donârunt *Officina*, Latino- rum more, ut alia in acum, & aca desinentia produce- mus. Ita sarracum *Juvenali* penult. producit. Imitan- tur pronuntiationem hanc Tornacum, Durlachum, Andernachum, urbes. Neque aliter exprimitur cloaca *Juvenali*, lingulaca *Plauto*, pastinaca *Macro*, & *Marcello* portulaca.

Halicacabus, vel *balicacabum*; *Avicenne* Kakengi, *Plinio* l. 21. c. 37. halicacabus; *ἀλικάκαβον* appellat *Dioscorides*, l. 4. c. 72. ab *ἄλε*, *ἄλος*, *ἄλι*, & *κάκαβος*, vel *κάκαβος*, quia vesica, quâ nucleum amplectitur, ollam aliquatenus repræsentat; penult. corr. ut simplex cacabus, *Ἀθη- ναιο* *κάκαβος* & *κακκάβη*.

*Alborum calicum, atq; cacaborum.* Phal. Stat. 4. Sylv. 9.

Hedera, penult. corr.

*Pastores hedera crescentem ornate Poëtam.* Virg. Ecl. 7.

Hedychroi trochisci, penult. corr. quia *Galeno* l. 1. de *Antidot.* placet *Ἡδυχρός σιβάσις*.

*Μάγματος ἡδυχρός ποσόν ἐφέλωμένον.* Pentam. *Andro- machus* apud *Galenum* de *Tberiaca* ad *Pisonem*.

Helenium, *Plinio* l. 21. c. 10. è lacrymis *Helene* dicitur na- tum. *Dioscoridi* *Ἑλένιον* l. 1. c. 27. 28. penult. corripit ut *chelidonium*, &c.

*Hellenium, lupulus, buglossa, filix, adiantum.* *Honter.* l. 4. ubi I duplicavit necessitate metri.

**Hermodactylus**, penult. corr. vide *Dactylus*.

**Herniaria**, recentiorum vox, dicta quod herniis curandis accommodata sit; pen. corr. ob vocalem antevocalem.

**Hiera** picra, penult. corr. quasi ἱερὰ σιδαία. Scribonio Largo c. 23. *hiera antidotos, ad sanandam ἱερὰ νόσον*, seu morbum comitiale. Nec obstat illud;

*Quos Jovis eduxit luco sylvestris Hiera. Virg. Aeneid. 9.*

Hiera enim ibi mater Idæa, Ἴηρα est. Quid quod aliis eo loco placeat *Hyana*, pro *Hiera*.

**Horminum**, Dioscoridi l. 3. c. 145. ὄρμινον; penult. prod. tum quia ita *Nicander* Poëta vetus, tum quia dicitur quasi ὄρμηνον; namque δοκεῖ σωσῖαν παρερμῶν Dioscoridi l. 3, c. 145.

Κάρεφρα θ' ὄρμινοιο, καὶ ἐν μαρῶν βροδέεντ'. *Nicand. Theriac.*

Eodem modo in *Alexipharmacis*:

Ἄλλοτε δ' ὄρμινοιο νέλω χύσιν, ἄλλοτε κόψαις.

**Hydromel**, hydromeli, & penult. & antepenult. corr. ut thalassomeli,

*Sape thalassomeli adjecto cumulavimus imbrī. Seren. tit. ventr. moll.*

*Hydromel, & mulsum, cervisia, nectar, acetum.*

*Honter. 4.*

**Hyoscyamus**, pen. corripit.

*Gramen hyoscyami cere, seculo vetusto. Seren. tit. pan. dep.*

*Si quis hyoscyamum gustarit lacte capelle. Seren. tit. vent.*

Neq; aliter in *Alexiph.* *Nicander*:

Μὴ μὲν ὕσχυάμω πρὸς αἰδρήνῃ κερύσσοι. Νηδύν ο:

Nullus hyoscyamo malè prudens expleat alvum.

Hype-

**Hypericum**, *Dioscoridi l. 3. c. 171.* ὑπερικόν; *Nicandro in Alexiph. ὑπέρικος* ἢ: penult. prod. five derivetur ab ὑπερίων, avos ὄ: sol, quæ sententia est *Martini*:

*Dissipat hunc radiis Hyperione natus, iterq; Ovid. 4. Met.* five ab ὑπερί & ἰκω venio, quòd plantæ huic superveniat aliquid rarum; sc. pori, & foramina.

Ἐνθεν δὴ τὸν δευτέρου τοῦ ἰκω πῆματὸς πάχων.

id est:

Hinc autem huc nunc venio nocumenta passus.

*Hom. Od. 9.*

five deniq; ab ἴκω, similis sum, item cedo, quòd folia cedant calori solis, ut superioris, & foramina admittant, quò respexisse videtur *Nicander* cum ὑπέρικον appellat,

Ουρείω ὑπέρικον, ὅθ' ὑσώπευ ὀροδάμνε. in *Alexiph.*

*Honterus* quidem, & diu ante ipsum *Andromachus* π duplicavère, & corrumpere penultimam, sed metri necessitati id adscribendum. Format autem Genitiv. *hyperici*, ut ex *Dioscor. l. 3. c. 171. & 172.* & *Plin. l. 26. c. 8.* discimus, non *hypericonis*, ut perperam *Officine*, quibus *oleum hypericonis* frequenter in ore est.

**Hyssopus**, um, penult. prod. quia *Dioscoridi l. 3. c. 30.* ὕσσωπῳ;

Ἄλλοτε δὲ ὑσώπῳ καὶ ἢ πολύγωνῳ ὀνωσις. *Nicander in Theriacis.*

*In vino prius hyssopum, validam quòq; rutam. Seren. tit. ventr. mitig.*

**Hysterica aqua**, penult. corr.

*Hystericam vetulo se dixerat esse marito. Mart. l. 11. ep. 72.*

**Jalapa** [chelapa, celapa, jalapium, gelapum, mechoacan-na nigra] incertæ prononciationis est, nisi quòd tutius videat

videat

videatur penultima producenda, quia mercatores, haud dubiè more gentis, unde ad nos radix deportatur, galappam duplicato p, exprimere non dubitant. Nam in Latinâ analogiâ, hîc nihil præsidii, *papa*, sive *papas* quidem *Juvenali* producit penultimam, sed *eidem* & *Martiali* penult. corripit *alapa*.

*Jasminum*, vox *recentiorum*, [ *Avicenna* *Jatimin*, nonnulli *Jesemin* appellant, nonnulli *gelseminum*] ab *ιασμῆ*, id est, olei medicati, & odoriferi genere, quod ex floribus albis violarum, & oleo sesamino confectum in conviviiis usurpabant Persæ odoris gratiâ, ut ex *Dioscoridis Notis* discimus. Unde consequitur, germen, quod *jasminum* hodie nominatur, oleumque ejus odoratum, luculentâ similitudine ab *ιασμῆ* deductum penult. corripere secundum naturam adjectivorum in inus ab inanimatis derivativorum, de quibus prolixè superius. Neque obstat *μη* in *Ἰασμῆ*; similiter enim *Oenanthinum* oleum penult. corr, licet ab *οἰναιθῆ* descendat, & *δάφνιον* à *δάφνη* &c.

*Intubum*, penult. corripit:

*Intuba*, jam teneris frondens lactucula fibris. *Columell.*  
*lib. 10.*

*Iris*, Genitivum format *ἱριος* *Dioscoridi* l. 5. c. 65. ut vel inde constet penult genitivi corripit. Format etiam genitivum *iridos*, ejus & penult. corripitur:

*Ἐν μὲν ἀριστολόχεια, καὶ ἱερῶ, ἐν δὲ π νάρεδα. Nicander*  
*in Theriac.*

*Jujubæ* dicuntur *Officinis*, quæ *Actuario* *ζιζυφα*, *Myrepsa* *ζιζιφα*, *Simeoni* *Zethi* *ζιζιφα*. *Gallis* *jon joube*, quam nomenclaturam à *zizyphis* corruptâ voce detortam esse opinatur in *Etym. Martinius*. Quod si à *jon joube* Gal-  
lorum

lorum nomen invenerint *jujuba*, ut verosimile est, undecunqve tandem *jon joubé* hauserint Galli, necesse est penultimam produci, quod Gallorum *jou* longum u constituat.

**Julebus**, vox *Officinarum* [ quibusdam julapium, & zulapium ] penult. producit: descendit ab Arabico *jalaba*, si credimus *Sennerto*, quod est medicari, sanare. Caterum convenientius derivabitur ab Arabico *golábon*, quod julebum, seu julapium hodieqve designat, ut probè jam ante *Golius in Lexic. Arab.* observavit. *Golábon*, autem propter eliph quiescens, penultimæ moram necessario extendit, producitqve. Natales ei à voce Persicâ *gul*, id est, rosâ, & *ab*, id est, aqvâ, quòd initio julebi ex solâ rosaceâ aqvâ saccharo permistâ conficerentur, qualis etiamnum *Julebus Rosarum Alexandrinus* appellatus. Sequitur hinc, *juleb* rectius dici quàm *julep*, & *gulab* quàm *juleb*.

**Iulus**, ut iuli coryli, ob vim adstringentem laudati, penult. prod. quia *Theophrasto l. 3. c. 7.* ἰσλοῖ appellatur.

**Juniperus**, penult. corripit:

*Juniperi gravis umbra, nocent & frugibus umbra.*

*Virg. Ecl. 10.*

**Lactuca**, penult. producit:

*Claudere quæ cœnas lactuca solebat avorum,*

*Disc mihi, cur nostras inchoat illa dapes? Martialis l.*

*13. ep. 14.*

**Ladanum**, penult. corripit:

Ἄλλο δὲ πρὸς κατὰ γαῖαν ἔρμεῶν λήδανον εὐχρῆς. *Rufus apud Galenum. Honterus & Vindicianus* penult. etiam rectè corripuere, sed primam corripuere perperam, quia

H

κίτος

κίσος λήθων ei natales largitur, unde non solum λήθων  
Græcis dicitur, sed & λήθων.

**Lapathum**, penult. corripit:

*Et lapathi brevis herba, sed albo non sine Coo.* Horat.

2. Sat. 4.

*Lubrica jam lapathos, jam rhamni sponte virescunt.*

Colum. l. 10.

**Laudanum** opiatum, penult. producit; nonnulli quidem penult. corripiunt, ad imitationem *ladani*, sed perperam; quid enim *laudano* Paracelsi commune est cum *ladano* Dioscoridis? etenim Paracelsus, primus vocis *laudani* architectus, qui *laudani* sui meminit *comment. de morb. dissolut.* & qui l. 2. de *vitâ long.* atque alibi, *laudanum* suum *perlatum* commendat, haud dubiè à *laudatâ* ejus efficaciam nomen eidem assignavit. Unde Schröderus in *Pfarm. laudanum*, inquit, *quasi laudatum medicamentum.* Et Johnsonus in *Lexic. Chym. Laudanum*, ait, *medicina est laudatissima, ita à Theophrasto appellata, quòd omni laude dignissima sit.* In cujus laudibus prolixior est Oporinus, adeò ut virtutes ejus ad mortuos quoque resuscitandos porrigi confidenter scripserit.

**Laureolâ**, penult. corr. ut cætera diminutiva in *ola*, *areola*, *bracteola*, &c.

*Laureolas dicunt veterum monumenta laborum.* Mant.

6. Partb.

*Laureolum velox etiam bene Lentulus egit.* Juven. Sat. 8.

**Lazuli lapis**, Plinii saphirus est, si Boëtio de Boot, credimus, aliis *Cyanus*, hodie *Lazuli*; Avicenne *Lazuward*; Arabum alii *Azul*, unde nomen *Asuri* & *Lazuli*, Germanis & nostris *Lazur*; Græcis recentioribus *λαζούριον*, signi-

significat cyaneum colorem ex trito hoc lapide paratum. *Aretas* ita in *Apoc. c. 21.* Ἐξ ἑσπεριου φασι καὶ τὸ λαζουλον γένωμα γινεσθαι. Quia ergo Græci ζε in λαζουλον diphthongo expressere, idem fatum sustinere existimabimus *zu in lazuli.*

**Levisticum** *recentioribus*, *Galeno* λιβυστικόν; *Dioscoridi* l. 3. c. 58. λιγυστικόν, ligusticum, quod plurimum in Liguriâ nascatur, ad montes & mare Ligusticum, penult. corr.

*Nam si procubuit, qui saxa Ligustica portat. Juven. sat. 3.*

**Lilium**, penult. corr.

*Florentes ferulas, & grandia lilia quassans. Virg. Ecl. 10.*

**Linaria**, [osyris veterum existimatur] *recentiorum* vox, à foliorum figurâ lini foliis simili, penult. corr. ob vocalem ante vocalem.

**Lumbricus**, penult. prod.

*Lumbrici quoque terrestres miscentur olivo. Seren. c. ting.*

*Lumbricos terra, sebumque ex ansere rauco. Seren. tit.*

*Aur. vit.*

*Eodem modo Idem tit. lumb. purg. & tit. ign. sacr. & tit. nerv. incis.*

**Lupinus**, penult. prod.

*Nec tamen ignorat, quid dislent ara lupinis. Horat. 1. ep. 7.*

**Lupulus**, *recentiorum* vox, pro lupo salictario *Plinii*, penult. corripit, quia diminutivum est, ut annulus, hortulus, fraterculus, &c,

*Hellenium, lupulus, buglossa, filix, adiantbum. Hont. l. 4.*

**Lycium**, succus ex arbore spinosâ Lyciâ excoctus, [cujus loco hodie vel prunorum sylvestrium, vel rhamni, vel rhois succum substituunt] penult. corr. quia nomen ei inde, quod in Lyciâ frequentissimè id genus arboris nascatur, ut ex *Dioscor. l. 1. c. 132.* constat.

*Ille etiam Lycias urbes, Lyciâq; propinquos. Ovid. Met. 4.*

**Lysimachia**, penult. reddit commuenm, & brevem quidem, quia *Dioscorides l. 4. c. 3. λυσιμάχου* appellat: longam autem, quia *Hesychius λυσιμάχου* vocat *βοτάνω*. Sed de urbe, & plantâ *Lysimachiâ* prolixius agit *Labbéus in Analectis Profodicis*.

**Majorana**, recentiorum vox, cujus nomen alii à maro *Dioscoridis* deducunt, alii ex eo quòd *majori* curâ colatur, quàm cætera plantæ. Veteres *sampsuchum* & *amaracum* videntur appellasse. Cui tamen opinioni vehementer adversatur *Stapelius*. Majorana autem penult. producet per analogiam, ut *oppidanus*, *rufficanus*, *fontanus*, *sylvanus*, *urbanus*, *secundanus*, &c.

**Mandibula lucii**, à *mando*, is, penult. corr. ut cætera diminutiva, *sportula*, *bucula*, *auricula*, *fucula*, *acetabula*, *conciliabula*, unde & *Gazæo* in *jambicis* penultimâ brevi exprimitur.

**Mandragora**, penult. corr. quia *Galeno l. 7. de simpl. med. fac. mandragoras*. Præterea ita Poëtæ:

*Mandragora pariat flores, mæstamq; cicutam. Colum. l. 10.*

*Nec non mandragora gustu sopor additur altus. Seren. tit. somn. adscisc.*

**Marchasita**, materia metallica impura varii generis, *Græcis*, *Latinisq;* *pyrites*, *Arabibus* *Markhasjitsa*, ut ex *Avicennæ can. Med. l. 2. tract. 2.* constat. Cumq; vox hæc Latinâ jam civitate donata sit, necesse est penultimam Latino more, ob positionem in Arabico extantem produci.

**Marmelata**, penult. prod. vide *succolata*.

**Marrubium**, penult. corr.

Mar-



Marrubium in vino potum prodesse loquuntur. Seren. tit.  
splen. cur.

Marrubium ex passo tritum perfunditur undis. Seren. tit.  
profl. sangv.

**Mastix**, *icbis*, & *masliche*, *es*, penult. habet ancipitem:

Rugarum sulcos lentisci *masliche* tendens. Seren. tit.  
cut. vitis.

*Pulegium*, abrotonum nitidâ cum *masliche* coctum. Seren.  
tit. splen. cur.

*Masticis* addentur fracta jam mollia farrâ. Seren. tit.  
precord. sanand.

Numinis at jussu cedrum cum *masliche* misces. Seren. tit.  
solut. ventr.

Sive apio nepetas tereti cum *masliche* junges. Seren. tit. col.

Cæterum: *Μασίχης*, ὄνομα δ' αὐτοῦ Φαλαγγίου Φυροποιῶνται.

Poëta apud Galenum l. 1. de Antidotis. Idem imitatus postea  
est *Sammartanus*. Præterea *Verapao* observatum *mastix*,  
*icbis*, pro gummi noto, rarò eruditioribus usurpari,  
frequentè *masliche*, *icbes*.

**Mastichina** aqua vitæ, & oleum *maslicinum* *Officina-*  
*rum*, penult. corrip. ut cætera omnia adjectiva in inus  
à rebus inanimatis derivata: Vide *Amaracinus*, seqv.  
De oleo illo ita *Dioscorides* l. 1. c. 51. τὸ δ' *μασίχινον* ἐκ  
*τῆς μασίχης* λείας σκευάζεται.

**Matricaria**, penult. corr. ob vocalem ante vocalem.

**Melilotos**, vel *melilotus*; *Dioscoridi* l. 3. c. 48. *μελίλωτος*,  
penult. prod.

*Pars thyma*, *pars rorem*, *pars meliloton amat*. Ovid.  
4. *Fast.*

**Melo**, *onis*, vox *Palladio Mart. tit. 9.* usurpata. Nunc *me-*  
*lones*, inquit, *serendi rariùs*. Penult. corripit ob omi-

erom præfens, quod vel *μηλοπέπων* ostenderit apud *Galen.* l. 2. de *Alim. facult.* apud *Dioscoridem*, *Hesychium*, *alios.* Vide & *Pepo.*

**Mercurialis**, herba, penult. prod.

*Vincetur talis mora gramine mercuriali.* *Seren. tit. bydrop. depell.*

*Mercurialis item capitur communiter herba.* *Seren. tit. concept.*

**Mespilus**, penult. corr.

*Æmula dura pyri despecti mala saporis*

*Mespilus admissio germine tuta subit.* *Pallad. l. 14.*

**Milium Solis**, penult. corr. ut milium vulgare;

*Fruentum, milium, ptisanamq̄, fabamq̄, solebas.* *Martial. l. 12. ep. 73.*

**Mithridatium**, penult. prod. quia *Galeno* frequens *antidot.* *Μιθριδάτει* l. 2. de *Antidotis.*

**Moschata nux**, quæ aliis *muscata*, aliis *nucifera*, *nux myrsica*, *nux unguentaria*, *μοσχάριον*, *κάρυον δρωμαλίον*. Nomen ei ab odore, qui tantillum ad moschi similitudinem accedit. Primi vocis natales, quantum constat, ab *Aëtio* deducti sunt, cui *μόσχαια* placuit in suffimento odorifero. Quod ad penult. in Græcis parum præsidii est, cum alia in *απὸς*, *η*, penult. corripiant, ut *δωραπὸς*, *ἐμβαπὸς*, *ἐλαπὸς*, *περαπὸς*; alia producant, ut *ἰεραπὸς*, *ὄραπὸς*, *ἀραπὸς* &c. tutius ad analogiam Latinorum penult. producemus, ut *consulatus*, *senatus*, *auratus*, *andidatus*, *capillatus*, *paludatus*, *stolatus*, *togatus*, *oculatus*, &c.

**Moschellinum oleum**, *Officinis* ita dictum, à *Nic. Alexandrino* compositum. Nomen ei à moscho, qui in eo *copiosus*. *Μοσχέλαιον* forsitan rectius appellaretur. Penult.

ult. autem corripit, ut cætera in inus adjectiva ab inanimatis descendunt. Vide *Amaracinum*, *seqv.*

**Mumia**, vox *Arabum*, & *Officinarum*, quia autem *Avicenna* est *moumija*, necesse est penult. produci, cum Latina civitatis vox jam sit, eoque ob j inter duas vocales proximè præcedentem syllabam producit.

**Myrobalanus**, à *μύρον* & *βάλανος*, aliis glans unguentaria, *βάλανος μυροβαλλή*. Penult. corripit.

*Quod nec Virgilius, nec carmine dixit Homerus,*

*Hos ex unguento constat, & ex balano. Martialis. l. 14. ep. 157.*

**Nenuphar**, penult. prod. vide *Asarum*, *seqv.*

**Nepeta**, penult. corripit:

*Sive apio nepetas tereti cum massiche junges. Sereni. tit. col. san.*

*Aut molles nepeta, aut ruta, quæcumq; bibentur. Sereni. tit. prof. sangv.*

**Nephriticum lignum**, penult. corr. ut hystericus *Martiali*, ictericus *Juvenali*, phreneticus *Martiali*, & *Sereno*; sic phlegmaticus, arthriticus, &c.

**Nervinum unguentum, oleum, emplastrum.** Vox hæc duabus premitur difficultatibus, alterâ, quod barbaris mi postulari videatur, ut *Foro Romano* ignota; alterâ, quòd de penultima in pronunciando morâ dubitari possit. Cæterùm Latinam esse vocem docet *Vegetius l. 4. Tormenta*, inquit, nisi fumbus nervinis intenta nil profunt. Præterea *Priscianus in Plaut. Truc. Pecua*, inquit, ad hanc collo in nervinâ ego obligata defero. Quod ad secundum, penultima produci meretur ad leges Adjectivorum in inus abanimatis descenduntium. Neque juverit obduxisse nervos tam plantarum attribui foliis, quàm

quàm

quàm animantium corpori; nam non nisi per translationem nervi plantis conveniunt, animalibus propriè.

**Nicotiana**, [alijs *tabacum*, *hyoscyamus Peruvianus*, *petum*] dicta à *Nicotio* Regis Galliæ Legato, per quem Gallis innotuit, penult. producit ut à *quartus quartana*; à *Septimius Septimiana* porta, à *rusticus rusticanus*, a, &c.

**Ocymum**, penult. corr.

*Ocyma praterca*, bulbi vè linuntur amari. *Seren. tit. præc. san.*

*Ocyma comprimate*, & gravibus densate cylindris. *Columell. l. 10.*

**Oesypum**, five lana succida, penult. corr.

*Oesypa* quid redolent, quamvis mittantur Athenis,

*Demtus ab immunda vellere succus ovis?*

De lanâ illâ succidâ ita *Serenus*:

*Succida lana malos remoratur subdita cursus. tit. profl. sangv.*

**Olibanum Officinarum**, seu *thbus*; *Dioscoridi l. c. 81. λιβανου*; sic dicitur *Isidoro l. 17. c. 8.* à *Libano* monte, ubi copiosè legitur, quanquam de origine vocis alia mens sit *Vassio in Etymol.* Quicquid horum fuerit, *Ausonius* eò respexit, cum scriberet *Idyll. 5. 98.*

*Florum spirat odor, Libani seu montis honor, thbus.*

Penult. autem corripit non solum ob hunc *Ausonii* locum, sed ob Græci quoque Poëtæ autoritatem:

*Και σμύρναν, λιβανόν τε πρὸς μαλακίῃ τῆν τήφρασ Βάλλε.* id est,

*Et myrrham, & molle thbus in ignem projice. Archestr. apud Athen. l. 3. c. 11.*

**Omphacium**, [id est succus uvæ acerbæ, & immaturæ] penult. corripit, quia *Dioscoridi l. 5. c. 6. ὀμφάκιον* sine suspi-

suspicione diphthongi, ab ὄμφαξ, ακος, ἤ, uva immatura, cuius etiam penult. corripitur.

Ononis, vel anonis, penult. prod. quia Dioscoridi l. 3. c. 21. αἰωνίς, & ὠνωίς; Galeno αἰωνίς & ὠνωίς, ἰδος.

Ἄλλοτε δ' ὠσωπός τε, καὶ ἡ πολύγων ὠνωίς. Nicand. in  
Iberiac.

Opium, succus ex incisis papaveris capitibus spontè effluens, & inspissatus, ab ὀπός, ὄ, succus ex læfâ stirpe emanans. Plinius opium vocat l. 21. c. 31. Quin & alterum, inquit, genus, quod halicacabon vocant, soporiferum est, atq; etiam opio velocius ad mortem. Idem lib. 20. c. 18. Cum capita ipsa & folia papaveris decoquuntur, succus meconium vocatur, multum opio ignavior. Penult. corripit opium,

Irin, Castoreum, scillamq; opium & panaceam. Vindician. v. 52.

Opopanax, acis. penult. corr. quia à panax, acis.

Exspirant acrem panaces, absinthia tetra. Lucret. l. 4.

Ambrosie succos, & odoriferam panaceam. Virg. Æn. 12.

Vindicianus quidem pa etiam ausus fuit producere, [de quo vide Pompholyx] sed perperam, nisi quòd metri necessitate tantillum excusetur.

Origanum, Dioscoridi l. 3. c. 32. & 34. ὀρίγανον, penult. corrip.

Cumq; hoc absumi debet origanus herba. Seren. tit. i. scorp.

Eustatbius derivat ab ὄρει & γάν, quasi sit montium splendor, & lætitia. Sed & γάν penult. corr.

καὶ κέρυες, καὶ θώρηκες λαμπρὸν γαιόωντες. Homer. Il. v.

Ψήγμα πολύκνημον, καὶ ὀρείγανον ἢ δὲ πὸ κάρως

Ἡπείτης. — — — Nicand. in Iberiac.

Origanum, *cunila* appellatur *Plinio lib. 20. cap. 16.* cuius penult. cum vulgò existimeretur corripit, producitur manifestè *Nicandro in Theriacis:*

Κόρυμβον ἡμυθέντα, πανάκτειόν τε κενίλω,  
ἢ καὶ ἡρόκλειον ὀρέϊγανον αὐτὰ τε ἰμβρησ.

Orobus, penult. corr. quia *Dioscoridi l. 2. c. 131. ὄροβος.*

Oxalis, idis; utrumq̄ve penult. corripit:

Ἄρκελιον, ὄξαλιδας τε, καὶ ὀρμενθέντα λύκαλινον *Nicand. in Ther.*  
Pharmacopœi *acetosam* vocant, penult. longâ, ut paludus, strumosus, onerosus, lapidosus.

Oxymel, penult. corr. quod vel ex *oxygario* liquet:

*Inter lactucas, oxygarumq̄, liber. Martial. l. 3. ep. 49.*

Ραονία, *Dioscoridi l. 3. c. 153.* Παιονία, à *Ræone Medico* sic dicta, penult. corripit, ut *Ræonia regio:*

Ὅς ῥ' ἐκ Παιονίης ἐμβώλακος ἐληλάθει. *Homer. Il. 9.*

*Ræonia* etiam *Græcis γλυκισίδη* vocatur, & *Plinio l. 27. c. 10. glyciside*, cuius penult. producitur:

Συὺ ἢ τε ρίζια χαῦνα νεωροχέου γλυκισίδης. *Nicand. in Theriacis.*

Papaver, penult. producit; genitivus autem pen. corr.

*Inferias Orpbœi Lethæa papavera mittes. Virg. Georg. 4.*

*Illa papavereas subsecat ungue comas. Ovid. 4. Fast.*

Parietaria *Officinarum*, dicta quòd in parietinis frequens sit; penult. corr. ob vocalem ante vocalem.

Pastinaca, penult. prod. ut portulaca,

*Et pastinaca virtus in semine tanta. Macer. 28. 1. Dioscoridi, l. 3. c. 59.* *staphylinus* dicitur, cuius penult. prod. tum quia *επιφυλίνου* circumflexo notatur, tum quia *Comissella l. 10.* & *Nicander in Theriac.* penult. producere.

Pepo,

Pepo, *onis*, penult. corr. quia Dioscoridi l. 2. c. 164. Ἡ ὄ  
τῶ πέπον σίεζ' καὶ αὐτὴ ἐρητικὴ.

Ὡ πέπωνες, κάκ' ἐλέγχε' Ἀχαιοὶδες, οὐκ ἔτ' Ἀχαιοί. id est,  
O stupidi, peponibus similes, pessima ludibria, Achaides,  
non Achivi. Homer. Il. β.

Ullt pateat hinc error Anonymi apud Smetium, qui ita  
ineptè:

*Aurea mala ferunt, dein melonas, atq; pepones.*

Perdicis fel, penult. prod.

*Seu fel perdicis parili cum pondere mellis.* Seren. tit.  
ocul. dol.

*Vulturis atq; jecur, vel jus perdicis aprica.* Seren. tit.  
jec. vit.

Periclymenum, penult. corr.

φύλλα τε κισσῆν τε περικλυμένοιο φέρουσι. Nicand. in Theriac.

Perficaria, Penult. corr. ob vocalem ante vocalem.

Perficum, penult. corr.

*Incita praeocibus surrepere Persica prunis.* Calph. ecl. 2.  
*Persicon huic potum è nuce traditur interiore.* Seren. tit.  
jecor. vit.

Petasites, Dioscoridi l. 4. c. 108. πετασίτης, penult. produ-  
cit, vide Abrotonites, sequ.

Petrofelinum, penult. prod.

*Peucedanumq; apiumq; melanthia, petrofelinum.* Hont. 4.  
Λωπὸν ἐρεπτόμενοι, ἐλεόθρεπτόν τε σελίνον. Homer. Il. β.  
καὶ σπέρμα νεμεαίου ἀμφύλλοιο σελίνου. Nicander.

Peucedanum, Dioscoridi l. 3. c. 92. πευκεδάνου pen. corr.  
Ναὶ μὲν πευκεδάνοιο, βαρυπῶς ἔτε καὶ ὀδμή. Nicand. in  
Theriacis.

*Peucedanumq; sonat flammis, Erycinaq; ibapsos.* Lucret. l. 9.

Phaseolus, penult. corr. quia *Dioscoridi l. 2. c. 130.* Φασολας. Phaselus verò pro eodem penult. producit:

*Seu pingvem vicinamq. seres, vilemq. phaselum. Virgil. Georg. 1.*

Philonium, Romanum, &c. penult. corripit.

*Quid referam multis composita Philonia rebus? Seren. tit. Jecor. vit.*

Pilula, penult. corr. ut cætera diminutiva in ula, ut bucula, sportula, lingula, ligula, &c.

*Aut platani pilulas acri infundemus aceto. Seren. tit. reject. cibi.*

Piper, eris, penult. utramqve corripit, quia *Galeno l. 8. de simpl. med. fac. πέπερι, πεπέρεως.*

*Ἡ πέπερι κνίδος τε μέγα σπερμεία λήναι. Nicand. Alexiph.*

Pistacia, penult. corr.

*Quin & amygdaleos subeunt pistaciavamos. Pallad. l. 14.*

Plantago, penult. prod.

*Agnina similis foliis plantaginis bujus. Macer.*

Polygonatum, *Dioscoridi lib. 4. c. 6.* πολυγόνατον, penult. corr. quia à γόνυ, γόνατ@, vel γένατ@ genu.

*Ἡλασ, τὸ δὲ αὐτὸ λύπη γένατ@, καὶ φίλον ἦτορ. Hom. Il. Φ.*

Polygonum, penult. corr. quia *Dioscoridi l. 4. c. 4. & 5.* πολύγονον à γόνυ, ατ@. *Nicander* quidem in *Tberiacis* penult. prod. sed necessitate metri, ut in hexametro locum inveniret.

Polypodium, *Dioscoridi lib. 4. c. 188.* πολυπόδιον, à pedum quasi multitudine, penult. corr. ut podium:

*Omnibus ad podium spectantibus, his licet ipsam. Juvenal. sat. 2.*

Pom-



**Pompholyx**, penult. corr. quia *Dioscor. l. 5. c. 85. πμφδ-  
λοξ, Arabibus toutia.*

*Andrachnen, acoronę, opopanax, pompholygemę. Vin-  
dician. v. 58.*

**Populus arbor**, penult. corr.

*Populus Alcida gratisima, vitis Iaccho. Virg. Ecl. 7.*

*Qualis populea mærens philomela sub umbrâ. Virg. 4. Ge.*

Inde unguentum populeum, non populeonis, ut per-  
peram Officinæ.

**Portulaca**, penult. prod. ut pastinaca.

*Andrachne grecè, quæ portulaca latinè. Marcell. l. 1.*

**Prassium**, ut syrupus de prassio, penult. corripit:

*Navis ramentum, & quæ nomine prassion herba est. Se-  
ren. tit. mamm. san.*

*Nicandro in Alexipharm. Περίσιον vocatur:*

*καὶ χλωερὲς πρασίσιον τὸ δὴ μελίφυλλον ὑδεῦσι. Et*

*Δικτάμινος τὴ κλῶνας ἰδίῃ χλωερὲς πρασίσιον. Andromachus se-  
nior apud Galenum libr. de Theriaca ad Pisonem.*

**Priapus tauri**, balæna, penult. prod.

*Hellepontiaci servet tutela Priapi. Virg. 4. Georg.*

**Primula veris**, penult. corr. quia à primus, diminutivum  
est primulus, ut scrupulus, lupulus, lentulus, fratercu-  
lus. Accedit & *Plauti*, & *Terentii* penultimam corrip-  
entis autoritas.

**Psyllium**, *Dioscoridi l. 4. c. 70. ψύλλιον*; penult. corr. ob  
vocalem ante vocalem, sine diphthongi suspitione.

**Ptarmica**, *Dioscoridi l. 2. c. 192. πταρμική*, à πταίρω, sternu-  
to, penult. corripit, ut icterica, Logica, Grammatica,  
Dominica.

**Ptisana**, [nonnunquam *ptisana*, hinc Galeni liber extat  
*πτισανῆς*] penult. corripit.

*Frumentum, milium, ptisanamq̄, fabamq̄, solebas. Mar-  
tial. l. 12. ep. 73.*

*Quid cessas? agetum, sume hoc ptisanarium oryzae. Ho-  
rat. 2. Sat. 3.*

**Pulegium**, penult. corr.

*Pulegiumvé potens, & agreste jugatur anethum. Seren.  
tit. lumbr. purg.*

*Pulegiumvé potens unâ super aure locabis. Seren. tit.  
cap. med.*

**Pulmonaria**, penul. corr. ob vocalem ante vocalem.

**Pyrola**, dicta, quòd pyri folium similitudine externâ imi-  
tetur; diminutivum ergo cùm sit, penult. oportet cor-  
ripi, ut areola, bracteola, fasciola, taleola.

**Ranunculus**, flammula, *Dioscoridi l. 2. c. 206. Βατράχου*  
penult. corripit, quia à ranâ descendit specie diminuti-  
vi, ut furunculus, pectunculus, homunculus, avunculus.

**Raphanus** *Dioscoridi l. 2. c. 137. ραφάνης*, penult. corr.

*Percurrent raphaniq̄, mugilesq̄. Phalæc. Catull. 15.*

*Semine vel raphani permisto dulcia melle. Seren. tit.  
tuff. med.*

*Ὅου τρώγω ραφάνης, & κράμβας, & τολσκιδας. Hom. βατρε.*

**Resina**, *Dioscoridi l. 1. c. 92. ῥητίνη*; penult. producit:

*Quid facient ungues? nam certe non potes illos*

*Resinâ, Veneso nec refecare luto. Martial. l. 3. ep. 74.*

*Resinata bibis vina, falerna fugis. Martial. l. 3. ep. 77.*

*Despicias meritò quid resinata juventus. Juvenal. Sat. 8.*

*Nec non resinas ex oriciâ terebintbo. Seren. tit. vesic. purg.*

*Resina ex facili cerâ, viscoq̄, coacta. Seren. tit. capill. ting.*

*Resi-*

*Resinam misces, & saxis bordea fracta. Seren. tit. furrunc. med.*

*Simplice resinâ miscemus bordea tusa. Seren. tit. pan. dep.*  
Eodem modo penult. producit *Vindicianus*. Quod si *Mantuanus*, & *Fracastorius* penultimam corripuerint, fecerint id invitis omnibus antiqvis scriptoribus. Videatur *Gruterus*, *Lipsius*, *Scaliger*, *Ramiresius*, *Raderus*, *Farnabius*, *Labbéus*, *Glonerus*, *Cavallus*. Qvin & ῥητινῆ Græcorum, id est, resina, penult. prod.

καὶ δὲ τῆν ῥητινῆν περὶ τῆν ἰδα πλάκην πούκην. *Nicand. Alexipharm.*

**Rhabarbarum**, *Dioscoridi l. 3. c. 2. ῥᾶ & ῥῶν*, quod cū in regionibus ultra Bosphorum nasci scribat, non mirum quod Arabes Rhabarbarum appellaverint, cujus tria genera recenset *Mesue*, Rha-Indicum, barbarum, ponticum. Rha tamen *Dioscoridis* potius convenit rhabarbaro hodierno, quàm hodierno rhabarbaro, ut prolixè inter alios ostendit *Plempius*. Pen. corr. ut barbarus.  
*Barbarus hic ego sum, quia non intelligor ulti. Ovid. 5. Trist. el. 11.*

**Rhaponticum**, *Celso* radix Pontica, penult. corr.

*A styge non longè Pontica distat humus. Ovid. 3. de Pont. el. 5.*

**Ricinus**, planta, *Dioscoridi l. 4. c. 164. ῥικινί, & ῥεβῶν*; nomen ei, quod grana ferat ricino animali similia, quemadmodum ibidem docet *Dioscorides*, & *Plinius l. 15. c. 7*. Plantam hanc umbraculum Jonæ capiti commodasse doctè persuadet in *Theophrastum Stapelius*, & attingit in *Lexic. Martinus*. Penult. autem corr. ut ricinus animal, nam de ricino veste aliter se res habet:

*Sanguine seu ricini, quem bos gestaverit ante. Seren. tit. obs. med.*

Rosma-

**Rosmarinus**, Græcis *λιβανός*, penult. prod.

*Ex pipere, & calidâ florem de rore marino.*

*Ebibe. — — — Seren. tit. stom. med.*

*Sive myrica potens, seu ros cum pane marinus. Seren. tit. splen. cur.*

**Rubia tinctorum**, *Dioscoridi l. 3. c. 160. ἔρουθῆδαυον, cui ῥίζα ἔρουθῆ, βαφικῆ. Plin. l. 19. c. 3. Rubia tingendis lanis, & coriis necessaria. Unde promptum fuerit colligere penult. corripi, ob vocalem ante vocalem, & rubiam dici quasi rubeam.*

*Sumere conveniet, rubiam quovq; ducere potu. Seren. tit. isch.*

*Huic rubia ex multâ fertur conducere lymphâ. Seren. tit. morb. Reg.*

**Rubrica**, penult. prod.

*Excepto si quid Masuri rubrica notavit. Pers. sat. 5.*

**Sabina**, *Plinio libr. 17. c. 13. & l. 24. c. 11. herba sabina dicta, à Sabinis populis, apud quos frequentissima fuit, si credimus Baubino in Dioscoridem. Penult. prod.*

*Stipite quæ diro virgas mentita Sabinas. Lucan. l. 9.*

*Et crepat ad veteres herba sabina focos. Prop.*

**Saccharum**, *Plinio saccaron, penult. corr.*

*Sive saporis erit, qui sacchara dulcia vincat. Sammart. l. 2. P. d.*

*Meminit inter antiquos sacchari Arrianus in peripl. μέλι, inquit, τὸ καλάμινον, τὸ λεγόμενον σάκχαρι. Dioscoridi l. 2. c. 104. σάκχαρον Plinio l. 12. c. 8. Saccaron & Arabia fert, sed laudatius India. Avicenne tandem multis post seculis in can. Med. vocatur tsukkar, ut nostratibus,*

**Sagapenum**, penult. prod. *quia Dioscoridi l. 3. c. 95. σαγάπηον, unde & Vindiciano, & Andromacho apud Galenum penult. rectè producitur. Sali-*

**Salicis iuli** in hæmorrhagiâ utiles, pen. corr.

*Amnicolæ, simul salices, & aquatica lotos. Ovid. 10. Met.*

**Salvia**, *Plin. l. 22. c. 25. Nostri qui nunc sunt herbarii, eleisphacon Græcè, Latine salviâ vocant. Idem repetit Apulejus c. 101. Dicitur ita, quòd salvos homines præstet, maximè fœminas. Penult. ob vocalem ante vocalem necesse est corripi, ut non malè veteri jactetur verbo:*

*Cur moriatur homo, cui salvia crescit in borto?*

**Sambucus**, *Sereno semper sabucus, forsan metri gratiâ: penult. prod.*

*Conveniet tenera radix decocta sabuci. Seren. tit. hydr. dep.*

*Aut edis in patinis tenera decocta sabuci. Seren. tit. ventr. moll.*

*Prodest ex parvis acinos potare sabucis. Seren. tit. vesic. purg.*

**Sampsuchum**, penult. prod.

*Natâq; jam veniant bilari sampsucha Canopo. Columell. l. 10.*

*Σαμψυχη, κύπριντε, καὶ ὕλας ἰσχυρὰς θυμολίδας. Nicand. in Theriac.*

**Sandaracha**, penult. corripit; *Dioscoridi l. 8. c. 122. σαυδαράχη.*

*Galbana, sandaracham, sampsuchum, psoricum, alumen. Vindicianus v. 56.*

**Sanicula**; *Officinarum vox, [nè quis vocem pro vocabulo barbarismi, jure postulet, cavit jam ante Quintilianus] à sanandis vulneribus sic dicta recentioribus, penult. corripit, ob speciem diminutivi, ut apicula, acicula, securicula.*

**Santalum**, *Antiquis, uti apparet, ignotum, Avicenna dsandal, qui tamen cum dsantal rubrum Galeno cognitum*

K

tum

tum scribit; memoriâ labi videtur; nobis non incom-  
modè enunciabitur, ut σαΐδαλον Græcorum, hoc est,  
penult. correptâ:

Ἄρσα, μήδ' ἔ ποδεοσι τοῖς ἰσὸ σαΐδαλα θείης. *Theocr. in  
Heraclisco.*

Santonici semen, [aliis semen Zedoarie, semen Cine]  
penult. corr. dictum quòd nascatur copiosè in agro  
Santonum populorum.

*Tempora Santonico velas adòperta cucullo. Juven. Sat. 8.*

*Gallia Santonico vestit te bardocucullo. Mart. l. 14. ep. 128.*

Sapo, onis, penult. prod.

*Attrito sapone genas purgare memento. Seren. tit. cut. vit.*

Sapphirus gemma, penult. prod. quia *Dioscoridi l. 5. c. 157.*  
σαπφειρ.

Satyrion, *Dioscoridi l. 3. c. 143.* σατύριον, is penult. corr.  
ob vocalem ante vocalem sine suspitione diphthongi.

Saxifraga, penult. corr.

*Saxifragam, seu fontigenam succurrere credunt. Seren.  
tit. vesic. purg.*

Scabiosa, *Officinarum* vox, penult. prod. ut scabiosus.

*Impello, expungam; namq; est scabiosus, & acri*

*Bile tumet. — — Perf. Sat. 2.*

Scammonium, *Dioscoridi lib. 4. cap. 171.* ὅπως σαμμωνίαις,  
Planta ipsa *Theophrasto* quoque vocatur σαμμωνία, *lib. 9.  
c. 10.* Succus, sive lacryma inspissata *Plinio l. 26. c. 8.* di-  
citur scammonium. Penult. rectè corripit *Nicaner,  
Vindicianus, & Pisidas*, ob vocalem ante vocalem sine su-  
spicione diphthongi:

Θάλπει θαλῶν χύτρω σαμμωνίον οἷσι καρέσκων. *Nicaner in  
Alexipharm.*

Quod

Quod idem contingit *diagridio Officinarum*, id est, scammonio excoctiori; Rectius interea *δακρυδιον* appellaretur, autoritate *Tralliani*, cui *κώπερος* laudatur *ἐκ δακρυδίου*, id est, lacrymâ, seu lacrymulâ scammoniaë. *Δακρυδιον* autem, sive *diagridium*, penult. corripit ob vocalem ante vocalem.

*Scariola*, vox *Arabum Interpretibus* usurpata, pro endiviâ vulgari; penult. corr. quia specie diminutivi se se infert, ut *Tulliola*, *areola*, *filiola*, *palliolum*, &c. Idem imitatur *lavendula*, *pruneola*, *calendula*, *passulæ*, *cœculi*, &c.

*Scolopendrium*, *Theophrasto l. 9. c. 19. σκολοπέδριον*, penult. corr. ob vocalem ante vocalem sine diphthongi suspicione.

*Scolymus*, penult. corr.

*Ἡκίαι σκολύμω, τροχέλω δὲ διπεχέλω ἀπο χαίτω.* *Nicand. in Theriacis.*

*Scordium*, *Dioscoridi l. 3. c. 125. σκόρδιον*, penult. prod, *Σκόρδιον, καὶ κείνον ὅπῃν μίσηγο Ἰωάνη.* *Andromachus apud Gal. l. de Theriac.*

*Διπλάσιον δὲ ἔσω σκόρδῳ γογγυλίδος π.* *Galen. l. 1. de Antid.*

*Scorzonera*, à *Scorzo*, *viperâ*, vel *Scorzone* serpente, *Hispanicâ* lingvâ, sic dictâ; penult. prod. ad imitationem *Latinorum* in *era* & *ira*. Ita *panthera* *Horatio* penult. prod. *Abdera* *Ovidio*, *Deianira* itidem *Ovidio*.

*Scrophularia*, dictâ à radice *nodosâ*, & *scrophulis* sanandis accommodatâ, penult. corr. ob vocalem ante vocalem in *Latinis* vocibus.

*Scrupulus*, pro *Medico pondere*, penult. corr.

*Gramma vocant, scrupulum nostri dixerè priores.* *Fannius de pond.*

Secacul, vox *Arabum* & *Officinarum*, pro *filaro Dioscoridi*, penult. prod. quia *Avicenna can. med. l. 2. tract. 2do* vocatur *ſekhâkhul*, accentu penultima impresso, quem, quia ex *Latio*, *Grajoque* fonte nihil suppetit, merito hic sequimur.

Secale, *Plin. l. 18. c. 16. secale occari tantum desiderat*, dicitur quasi *ſecabile*, unde & penult. producitur:

*Sed solidum in parvis, nulliq; ſecabile ſegmen. Auſon. Eid. 11.*

Senecio, *Græcis ηεηρηγω*, quasi *vernus senex*; penult. corr. ut *senecio vir*:

*Tu ſenecionem hunc ſatis eſt, ſi ſervas anus. Afranius in Jambic.*

Sepia, unde *os ſepie* in *pharmacopoliis* affervatur: penult. corr.

*Nigra quod infuſa vaneſcat ſepia lymphâ. Perf. ſat. 3.*

Serapinum, *Officinis* quandoque dicitur pro *ſagapeno*, sed *perperam*, & corruptâ voce.

Sericum crudum, *pharmacopoliis* expetitur, pen. corr.

*Rubra ſed aurato criſpentur ſerica dorſo. Claud. 6. Hon.*

Sefeli, tum *Maſſilienſe*, tum *Æthiopicum*, tum *Pelopon-neſiacum*, penult. corr. quia *Dioscoridi l. 3. c. 60. 61. 62.* & *Galeno l. 8. de ſimpl. med. fac. σείλι*, eas:

*Abrotanum, ſefeli, mox & cynogloſſa ſequuntur. Hont. 4.*

Sideritis, penult. prod. quia *Dioscoridi l. 4. c. 33. 34. 35. οδιρετης*. Genitiv. *ſideritidis* penult. corr. ut *colocyn-thidis*, *cantharidis*, *oceanitidis*. Sic *ononidis*, *hypociftidis*, &c.

Siliqua, *Dioscoridi ηεεθηνα, τὰ, l. 1. c. 158. Galeno ηεεθηνωια*, *Ad. Vorſtio panis filii prodigi*, penult. corr.

Nec

511



*Nec non & lini tunsum, siliquarum legumen. Seren. tis.  
pracord. Jan.  
Decoctis potantur aquis, siliquarum madentes. Seren. viz.  
dige. med.*

**Sinapi**, penult. prod. quia *Dioscoridi l. 2. c. 184. σίνηπι :*  
*Seq. laceffenti fletum factura sinapis. Columell l. 10.  
Vindicianus vers. 37. perperam penult. corripuit.*

**Solanum**, *Plinio l. 27. c. 13. solanum, Officinis etiam sola-  
trum. Cui siue à solamine natales sint, quòd herba sit  
foporifera, siue à sole, unde & subfolanus, penult. pro-  
ducetur:*

*Esula cum betis, solanum, strychnus, oryza. Hont. 4.  
Sed de Esula quantitate consulatur litera E.*

**Spinachia**, vox *Officinarum*; penult. corr.

*Si forsan leuiore placet spinachia bruma. Fiar. cæn. 133.*

**Spodium**, *Dioscoridi l. 5. c. 85. σπόδιον, penult. corr. ut  
ex Andromachi senioris versibus de Viperâ constat, de quo  
Galenus l. de Theriaca ad Pisonem.*

**Staphisagria**, *Dioscoridi l. 4. c. 156. σταφισ, ἀγρία, penultimam  
corripit:*

*Τὸ μὲν ἐγὼ πειρήσω ἀλαλκῆν ἀγρία φύλα. Hom. ll. τ.  
σταφισ penult. Genitivi corripit:*

*Ἄμμινα δὲ ἀγροτέρης σταφιδὸς λέπτοισι ἢ δάφνης. Né-  
cand. in Theriac.*

**Stibium**, *Dioscoridi l. 5. c. 99. στίμι, & στίβι, penult. corr. ob  
vocalem ante vocalem sine diphthongi suspitione. Sic  
dentalia, balaustia, coccognidium, saccharum penidi-  
um, ac diapenidium, & similia.*

**Sticticum emplastrum**, vox *Officinarum*; rectius stypti-  
cum, quomodo medicamenta styptica [id est adstrin-  
gentia] laudantur *Plinio l. 24. c. 13. Penult. corripit, ut*

hecticus, practicus, ictericus. Sic Umbricus, unde in  
Officinis terra Umbrica.

Stœchas, adis, de quâ ita Dioscorides l. 3. c. 31. Στιχάς  
γεννάται μὲν ἐν τοῖς κατὰ Γαλατίας ὑψηλοῖς ἀνὰ κρὸν Μασσαλίας,  
καλεμέναις ὁ Στιχάσιον, ὅθεν καὶ τὴν Ἰωνομίαν ἐρχεται. Igitur  
autem penult. corr. quia,

Stœchados arva tenens, nec non & Graja Juventus.

Lucan. lib. 3.

Storax, acis, & styrax, acis, penult. genitivi corr.

Non storace Ideo flagrantem picta capillos. Virg. in Ciril.  
Aut styracem torres, aut diri vulturis alam. Seren. tit.

serp. mors.

Andromachus quoque apud Galenum l. de Iberiacâ pen-  
ult. in στέρας corripuit.

Succinum, penult. corr.

Quid myrtus, quid messor Arabs, quid succina trita?

Martial. l. 3. ep. 69.

Succina virgineâ quod religata manu. Mart. l. 11. ep. 9.

Succisa, penult. prod. quod radix ejus humano generi  
salutaris, vulgò existimetur ab invido Dæmone succisa  
esse, unde morsus Diaboli nomen quoque invenit.

Succolata Inda, à fabâ, cui succola nomen, sic appella-  
ta; penult. producet, ut à creta cretatus, a, ab argen-  
to argentatus, a, à togâ, togatus, a, à sistro, filtra-  
tus apud Martialem. Sic à Marmelos de Bengalâ [id  
est, cydonio exotico] est confectio Marmelata; à pomo  
est pomata Officinarum.

Symphytum, [unde Syrupus de symphyto] Dioscoridi l.

4. c. 9. & 10. σύμφυτον, penult. corr. ut Φυτὸν:

Τὸν μὲν ἐγὼ πρεψασαί Φυτὸν ὡς, γυνῶ ἀλωῆς.

id est,

Hunc

Hunc quidem educatum velut plantam in fertili ter-  
râ. *Homer. Il. σ.*

Πνευφάει, πολλοὶ δὲ φυτῶν ἔσται ὄρχατοι ἀμφίς.  
id est,

Frugifera, multiq̄ve plantarum erant horti circum.

*Homer. Il. ξ.*

Syrupus, *Actuario σερῶπιον*, cujus primi natales tradun-  
tur esse vel ex Syriaco *Sareb*, quæ *Angeli Caninii* fuit sen-  
tentia; vel, quod credibilius, ab Arabico *Sirab*, id est, po-  
tione medicâ [unde *sirupus*, vel *sirubus* rectius appella-  
bitur.] ut persuadet *in Clave sanat: Simon Januensis*.  
Quod ad quantitatem penultimæ, si *Actuarius σερῶπιον*  
appellando, voluerit natales ejus à Serapi, Deo Ægypti-  
orum deduxisse, penult. producet, juxta illud *Martia-*  
*lis l. 9. ep. 30.*

*Vincebant, nec quæ turba Serapin amat.*

Ceterùm videtur *Actuarius* respexisse potiùs Arabi-  
cum *Sirab*. *Golius in Lexic. Arab.* Syrupum Arabibus ho-  
die *Sebarabon* appellari monet, accentu penultimæ ob-  
eliph quiescens impresso; à radice *Scháraba*, id est, *bi-*  
*bendum dedit*. Quia ergo penultima Arabibus longâ morâ  
exprimitur, cum desint in Latio leges, leges Arabum hîc  
opportunè sequemur, & penult. τῶ *Syrupus* producemus.

**T**abacum, pro *byoscyamo Peruviano*, penult. prod. quia  
Insula, quæ ipsi nomen dedit, non tantùm tabacum, ta-  
baco, tubac, sed & tubacka, & tabacca appellatur,  
quemadmodum ex Indicarum Occid. rerum Scriptori-  
bus constat.

**T**acamahaca gummi, vox Indica, quæ quia jam civi-  
tate Latina pharmaceuticâ donata est, producet meri-  
tò penultimam, ut Latina in aca, cloaca, lingulaca, pa-  
stinaca, portulaca, proserpinaca, securidaca, verbena-  
ca, &c.

Tana-

**Tanacetum**, quod à **Tanaco Plinii** existimat derivari *Baubinus*, penult. producit, ut acetum, coryletum, dumetum, equisetum, fruticetum, ilicetum, myrtetum, moretum, olivetum, quercetum, salicetum, temetum, vepretum.

**Taraxacon**, *Officinis*, & *Lonicero*, *Taraxicon Stapelio*, pro dente leonis, sive aphaçà *Theophrasti*; videri posset à *ταράκων* derivari, sed veriùs vox corrupta est, à *ταράξιμον*, quomodo vocatur *Geopon. Aurbori l. 12. c. 28. Agri-neta l. 3. c. 46. Aëtio l. 9. c. 48. Tralliano l. 8. c. 1. ταράξιμον* autem, id est, edule, voce *Hippocraticâ* dicitur, quòd cichoreacea olim [inter quæ dens Leonis] quotidie mensis inferrentur; imò hodieqve in Graciâ caput hoc monachi inter epulas acetarii loco traditur usurpari. *Taraxicum* autem penultimam corripiet, ut toxicum; *ταράξιμον* itidem, ut verbalia Græca in *μας, η, ου, χήσιμ* & *πίσιμ*, *δονίμ*, *ονήσιμ*.

**Tartarus**, *Homero in Hymn. ad Merc. & Apoll. item Iliad. 9. τάρταρος*, & *Virgilio 6. Æneid. pro caliginoso & impuro Inferorum loco sumitur: hinc Paracelsus per similitudinem quandam, pro impurâ vini face, lateribus doliorum adhærente, & impuro sanguinis sedimento, unde calculi, & duri in corpore tumores nascuntur, usurpare cœpit, unde penult. quoque tartari Paracelsici corripit oportet, ut Tartari Rhadamanthæi.*

*Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit. Virg. Æn. 6. Senior intus habet sedem. tum Tartarus ipse. Virg. Æn. 6.*

**Telephium**, (aliis crassula) penult. corr.

*τύλατα τηλεφίσιον, νέον τ' ἐν βότρυνσι κλήμα. Nicand. in Th.*

**Terebinthinus**, a, penult. corr. vide *Amaracinus*, seqv.

**Theriaca**, *Galeno libr. ad Pisonem & Pamphilianum, Theri-*  
*ακή*

ακή αἰτίδοις, ἀ γῆς, ἡμεῶν, quòd nobilissimum ejus ingrediens sit bestiola vipera. Penult. corripit *Poeta* apud *Galenum de Antid. l. 1.* Et svadet idem analogia, in maniacus, Iliacus, Ammoniacus, Olympiacus, κυριακός, Φουσκός, πικτικός.

**Thymiama**, penult. producit:

Πόλις δ' ὁμᾶ μὲν θυμιμάτων γέμει. Jamb. *Sophocl. in Oedip. Tyranno.*

**Tilia**, penult. corr.

*Nec tilia molles, nec fagus, & innuba laurus. Ovid. Met. 10.*

*Nec tilia leves, aut torno rasile buxum. Virg. Georg. 2.*

In append. *Smetii ex Sereno* adducitur hic versus:

*Fraxinea in flammis, quæ fundit tilia succum,*

Sed in *Sereno talea* legitur, non *tilia*.

**Tribulus** aquaticus, penult. corr. quia *Dioscoridi l. 4. c. 11.*

τετράλοος ἐνδρῶς. Accedit illud Poëtæ:

*Semina jacta legunt, lolium, tribuliq; fatigant. Ovid. 5. Met.*

**Tripolis**, aliis terra Tripela, penult. corr. quia ex Africa provinciâ urbi Tripoli vicinâ advehi traditur. Tripolis enim ideo penult. corripit, quia Græcis est τριπολις.

**Trochisci** *Moschardini*, ab intrante moscho sic dicti, penult. prod. ut cætera adject. in inus, ab animal. descendencia.

**Troglodytica myrrha**, penult. corr. ut cætera adjectiva in icus. Vide hystericus, nephriticus, &c.

**Tryphera**, Persica, Saracenicæ, Nicolai; penult. corripit, quia Græcis τρυφερός, ἀ, ὄν, delicatus, a, um, ἀ τρυφή, delitiæ; Compositiones hæc ideo τρυφερά, sive delicatæ appellantur, quòd totius corporis, orisq; colorem, odoremq; commendent, & nativum membrum succum restituant.

L

Tussi-

Tussilago, *Dioscoridi l. 3. c. 126. Βήχιον, Plinio l. 26. c. 6 &*  
bechion & tussilago: penult. producit, ut cartilago,  
Carthago, imago, indago, propago, similago, triffa-  
go, virago, vorago.

Tutia, *Dioscoridi l. 5. c. 85. Πομφόλυξ, Officinis nihili al-*  
bum; Arabica vox est, *Avicenna can. 2. tract. 2. Toutia,*  
quæ tamen ob vocalem ante vocalem more Latinorum  
penultimam meritò corripit.

Valeriana, vox *Officinarum, Dioscoridi l. 1. c. 10. Φῶ, &*  
*νάροσ ἀγρία; Recentioribus valeriana appellata est,*  
quòd insignibus valeat viribus ad morbos varios. Pen-  
ult. prod. ut Valerianus Imper. secundanus, fontanus,  
oppidanus, sylvanus, Claudianus, Thebanus, &c.

Verbena, *Dioscoridi l. 4. c. 61. ἱερὰ βοτάνη. Plinio l. 25. c. 9.*  
hierobotane, & verbenaca, penult. prod.

*Lilia, verbenasq; premens, vescumq; papaver. Virg. 4. Georg.*  
*Hus ubi verbenis, sylvasq; incinxit agresti. Ovid. Met. 7.*

Vernix, *icis, Serapioni sandarax; vulgò Sandaracha Ara-*  
bum, [non Græcorum] *Avicennæ Tfindaruts; Officinis*  
gummi juniperi. & vernix. Est autem vernix *recenti-*  
*orum* vox, diciturq; *Baubino*, quasi vernus ros; *Stape-*  
*lio*, quasi *Βερνικὴ*, quod recentioribus Græcis electrum sive  
succinum significat. Penult. genit. non inconvenien-  
ter producet, tum quia Gallis *du vernis* vocatur, accen-  
tu in ultimâ, tum quia Italis *vernizo*, tum propter ana-  
logiam perdicis, coturnicis, sandycis, cicatricis, nu-  
tricis, meretricis, obstetricis. Idem sentiunt *Cavallus*  
& *Labbæus*. Si à *Βερνικὴ* est, producet penult. ut *Berenice*.

Veronica planta ambiguum an veteribus cognita. Na-  
tales ejus petit *Martinius* à *viribus*, quibus pollet, alexi-  
pharmacis. Sed hoc frigidum. Convenientius forsan  
à Vero-

à Veronicâ matronâ, ut Artemisia, à cognomine Caria Reginâ, atqve ita penult. produceret, ut Berenice. Verùm quia *Veronicam* pietatis studiosiorem fuisse constat, quàm plantarum, *Dodonei* sententiam amplectemur, cui veronica nostra vulgatior alia planta non est, quàm *betonica* altera *Agineta*, cum utriusqve & forma & vires aptè respondeant. Proinde quia penult. in *betonica* brevem esse docuit *Serenus*, ut superiùs monitum, necesse quoque fuerit, veronicam, per ignorantiam temporum, inde, variatis nonnihil literis, detortam iisdem legibus obtemperare.

**Vinceroximum**, penult. corr. ut toxicum.

*Toxica fatilegi carpunt matura Sabai.* *Lucan.* l. 9.

**Viola**, *Dioscoridi* l. 4. c. 122. *iov.* penult. corr.

*Pallentes violas, & summa papavera carpens.* *Virg. Ecl.* 2.

**Vipera**, *Dioscoridi* l. 2. c. 18. *ixidvη*; penult. corr.

*Vipera delituit, cælumq; exterrita fugit.* *Virg. 3. Georg.*

*Quod custos, dominusq; viperarū.* *Phalæc. Mart. l. 1 ep. 42.*

**Vitriolum**, Græcis *χάλκωδον*, *Plinio* l. 34. c. 12. atramentum sutorium, & chalcanthum; *Gebri interpretibus* cuperofa; *recentioribus* vitriolum ob colorem vitri cœrulei & viridis æmulum. Penult. corripit, ut cætera diminutiva, & diminutivi speciem imitantia, palliolum, strophiolum, & dictum *Catullo* solatiolum.

**Umbilicus marinus**, item umbilicus Veneris, pen. prod.

*Jam pervenimus usq; ad umbilicos.* *Phalæc. Mart. l. 4. ep. 91.*

*Nullo crassior ut sit umbilico.* *Phalæc. Mart. l. 2. ep. 6.*

**Vomica nux**, penult. corr. à vomendo dicta, ut vomica morbus:

*Et pbibisis, & vomica putres, & dimidium crus.* *Juven. 13.*

**Urtica**, ab urendo dicta Latinis, *Dioscoridi* l. 4. c. 94. *κνιδῆ* à pungendo; penult. prod. Hæc

Hec tetigit, *Gradive*, tuos *urtica* nepotes. *Juven. Sat. 2.*  
Divitis *urtica* major tamen ista voluptas. *Juven. Sat. 11.*

**Usnea**, pen. corr. ob vocal. ante vocalem, *Avicenna* *Ufina*.

**Zedoaria** *Officinarum* [zurunbåd *Avicenna*; ζάδεοξ. *Græcis recentioribus*] penult. corr. ob vocal. ante vocalem, quòd in civitatem Latinam terminatione transferit.

**Zibebæ**, vox *Officinarum*, penult. corr. ut *cubebæ*. *Avicenna* *Zebib* appellat, unde non defuturi forsàn, qui accentum intuiti penultimam producent. Nec admodum repugnabimus. Quia tamen in terminationem Latinam transit hæc vox, potior videtur analogiæ superius allatæ ratio. Consulatur interea *Asarum*, seqv.

**Zibethum**, *Scaligero* *Zibeth*, pro excremento illo peculiari & fragrante *Hyantæ* odoriferæ; penult. prod. tum quia multis Auctoribus, ut *Hermolao*, *Ruellio* &c. *Zibethum* appellatur, & aliis *civetta*; tum quia analogia ita svadet in voce, acetum, coryletum, cemetum, vepretum, &c.

**Zingiber**, *Officinis*, & *recentioribus Græcis*; *Plinio* l. 12. c. 7. *zingiberi*, & *zimiberi*; *Dioscoridi* l. 2. c. 190. ζιγγίβερις, εως. ζιγγίβει. *Hermodon* καὶ ἑυκλων' πανταπέτηλον. *Andromachus Senior* apud *Galen* l. de *Iberiaca* ad *Pisonem*.

*Avicenna* *Zengjebil*. Et nominat. & genit. penult. corr.

*Zingiber*, & *calidū*, *mordax piper*, & *laser algens*. *Vind.* 54.

Et *piperis siliqvas*, *Zingiberimq;* vehit. *Strozza Eleg.* 3.

Ratio constat, quippe *Galenus* l. 6. *simpl. facult.* ζιγγίβειρος, inquit, ἡ ρίζα ζήσημι εἶναι, &c. & similia scribit loco proximè citato *Dioscorides*.

**Zizypha**, penult. corr. apud *Cavallum*; neque malè convenit analogia cum *Sisypho*, de quo ita *Poëtæ*:

*Aut petis aut urges ruiturum Sisyphæ saxum.* *Od.* 4. *Met.*

*Vel tu Sisyphios licet admirare labores.* *Propert.* 2. 617.

